



159


162.51. N. H. J. 13

✓ IN = 30002964










LACON
POLITICUS,
STRICTIM
DOCTRINAM
ADMINISTRANDÆ
REIPUBLICÆ,
QUAM AJUNT
POLITICALM,
COMPLECTENS ET EVOLVENS.
STUDIO
FRANCISCI ALBERTI
PÈLZHOFER,

S.R.I.Lib.Baronis de Schönau, S.C.M.
Consiliarii, Iudiciorum in Carniola Assess. Cæsa-
rei Vicedominatus Consiliarii Provinciæ Te-
rium inferioris Carniolæ Committsarii,
& olim Statuum depurati.

AUGUSTÆ VINDEL.
Apud LAURENT. KRONIGERUM,
& Hæred. THEOPHILI GOEBELII.



VERO
HISPANIARUM
HÆREDI,
CAROLO III.
REGI
CATHOLICO,
Vitam , Victoriam ,
Triumphum!

Lacon iste (ut credo)
tantam obtinebit
partem apud *Maje-
statem Tuam* favoris
Regii, quantum possidet au-
guratæ Veritatis: & vel in
)(2 hoc

DEDICATIO.

hoc se jactabit , quod pedi-
sequum aget ad triumphales
currus, qui expectant Tuam
Majestatem Regiam in Hispaniæ
undequaquè Regnis. Stri-
ctè loquitur meus Lacon ,
non solum ex suæ gentis
indole & more , sed etiam
quod hujus sæculi ingenio-
rum sive subtilitas, sive feli-
citas paucis malit , quam
multis intelligere. Quid
igitur dicam ? dicam Laco-
nicè, id est *paucis multa*. *Tuæ*
enim *Regiæ Majestatis nomen*
excepit jam templum ævi-
ternæ memoriaræ, intra pau-
cum

DEDICATIO.

cum tempus, & cum tanto
stupore, ut si se illa revolvat
in præterita, non habeat ex-
emplum tantæ resolutionis,
fortitudinis resignationis,
longanimitatis, magnani-
mitatis (immo audaciæ) qua-
lem tua Catholica ac Regia
Majestas vel in hoc, cum ad-
miratione omnium genti-
um exhibuit, quod in primo
vere ætatis Tuæ, à sinu augu-
stissimorum Parentum Tuo-
rum, à deliciis amantissimæ
Patriæ, te commiseris in in-
certos Oceani fluctus, in ex-
ternorum fidem, in terram

X 3 hosti-

DEDICATIO.

hostilitatis, solo DEO & Fortuna
comite. Hoc reverâ sæculo-
rum miraculum est, homi-
nibus quasi incredibile &
absconditum , mirandum
magis, quam imitandum; &
nisi in Jasonis tempora re-
spiciamus, inauditum, nun-
quam visum.

Sed verè felices fuère Tui
ausus, ô imperterrité, Ma-
gne Rex ! Platonem non
amplius audio, qui *audaciam*
inter vitia numeravit. Dico
quod sentio : *Audaces For-
tuna juvat. An Veritatem hic
elo-*

DEDICATIO.

eloquar, an siluero ? Tu il-
lam infallibilem fecisti. Et-
enim velut extorris, inveni-
sti Regium in Lusitaniâ ho-
spitium , in mediis Oceani
fluctibus hospitaticem , &
fortunæ Tuæ Cynosuram
Annam Reginam Angliæ :
Patrii autem Hispaniæ lares,
quos amissos ex Gallorum
usurpatione existimasti, ecce
ipsi ultrò in sinum Tuum
ruunt. Magnates quoque,
Proceres, Clerus, Populus &
Regna ipsa suspirant , & ad
Solum vocant Hispano -
Austriacam (qualis Tu es)

DEDICATIO.

Sobolem. Barcellona Te
sensit Domitorem, excepit
Victorem, adoravit procla-
matione publicâ *Regem Suum*.
Quid amplius? nihil: quia
Lacon sum, & uno verbo
complector omnia, cum Te
Miraculum Orbis dico. Tu
quippe exiguo temporis,
sed longo locorum inter-
vallo, quæ nobis captu erant
impossibilia, fecisti possibi-
lia. Tu genuinus pullus
Aquilæ Austriacæ factus, nulla
curas tonitrua, nullas in alto
positus metuis maris vora-
gines, nullis distineris peri-

cu-

DEDICATIO.

culis ; usque dum inauditâ magnanimitate evolaveris in n̄dum illum, jam dudum Augustissimo Tuo sanguini debitum , videlicet Monarchiæ Hispаниcæ apicem. Quem Tuæ Regiæ & Catholicæ Majestati demississimè aggratulatur, ad genua Tua Augustissima provolutus, Lacon meus.

Hunc suscipe Magne Rex , in perpetuum monumentum meæ demississimæ devotionis , eumque subinde audi , qui licet pauca lo-

DEDICATIO.

loquatur, loquitur vero ve-
riora.

**Regiae Catholicæ
Tuæ Majestatis**

*Devotissimus & obsequen-
tissimus*

**Franc. Albert. Pelzhofcr,
S.R.I. Liber Baro de Schönau.**

Ad

Ad Lectorem.

LAONICÈ tibi loquor : ut vel inde
scias, me non famæ, non gloriæ,
loqui, sed prodeesse tantum velle.
Ut omnibus Lacon meus placeat, vix
sperare ausim : quæ vero suggerit ille,
ut omnibus probentur, vix credam e-
tiam, nisi Veritatis amantem nancisca-
tur Lectorem. Omne quod tibi lo-
quor, meum est, & novum nihil (nihil
quippe super terram novum, quod non
fuit, dixit Sapiens) sat tibi, si loquor
ex Tripode. Nihil hic accessorium,
nihil de cortice: totum quod est, nu-
cleum & medullam expecta. Tu ri-
mare, penetra. Optimam mercedem
inde habebit Lacon , si quod limavit
attentius, & collegit operosius ; tibi
id paucis effatus sit.

Vale.

Ad

Ad maledicuum Momum.

Astuat, & tacito livor male carpitur
igni;

Hunc premere innocua mentis in amne
parat.

At nimis hac gelida est, non tantum incen-
dia sopit;


Sed facit, ut nullus sit tibi, Mome, vigor.
Conscia mens Veri sola est tutela Laconis:
Prater eam innocuo nil superesse scias.

Ad Zoilos.

Tu mea ne carpas, melius sed, Zoile, scri-
bas;

Non ego te carpam, si meliora dabis.





CAPUT PRIMUM.

De Politicâ & ejus Administratōribus.

Politica est Scientia mediōrum fundantium, conservantium, & augentium Rempublicam.

Alio nomine Rationem Statūs dicunt.

Hanc multis erroribus & flagitiis obnoxiam reddit hominum vel natura depravata, vel imbecillis.

Impii quidam illam planè separant à lege DEI.

Quidquid autem in naturā, quidquid in homine, quidquid in Politicā, & quidquid in Regnis & Imperiis ver-

A

titur

titur & agitur, totum id subalternum est legi divinæ.

Cynosuram qui hanc non sequitur aberrat à fine ultimo, qui est vita æterna.

Absurdum id Aristotelis Ethnici Philosophi Ethica pronuntiat; ubi res divinæ imperantur ab humanis.

Sicut enim Sapientiæ non imperat Prudentia, sed illa huic; ita ratio Status & omnis facultas Civilis, non imperat legi divinæ, sed huic famulatur illa.

Qui separat rationem Status ab eâ, quæ DEI est; necesse habet, ut affirmet & constituat illam esse Dæmonis. Medium non datnr.

Non debent illa ex Epicuri aut Machiavelli penū defumpta dogmata, cum Sanctissimis Politices aphorismis confundi. Veritates hi sunt: illa Sophismata.

Tantum Politicâ differt perversa Statûs ratio, quantum vox Jacob à ma-

nu Esau , quæ fecellit senem Patriarcham Isaac.

Speciem illa boni habere videtur, sed tantò periculosior, quantò minus suspecta est fraus, virtute obiecta.

Nulla Scientia, nulla ars excellenter, & humano generi nulla magis necessaria est, quam Politica regulata a cœlo.

Hujus si illa legem non suscipit, nihil eâ magis impium, perversumque dari valebit.

Politicam fundavit DEUS & natura.

DEUS: quia omnis potestas humana est a DEO, adstricta rationi & legi supernæ.

Natura: quia hæc innato appetitu fertur in communionem Civilem, quæ absque Politicâ non subsistit.

Qui Politicam a Religione dividit, ut sibi incompatiblem: Républicam vult haberi disciplinam scelerum.

Quidquid Regnantes habent , a DEO habent: Potestatem, Regnum, victorias, pacem &c.

Datori sint supplices, qui ea tribuerre & tollere potest. Ipse dat Regna, temperat, auferet & transfert.

Nomen Politici vulgo est in abominatione, velut petra scandali; ac quidquid malè committitur, vel subdole agitur, id omne Politicè fieri, quidam malè arbitrantur.

Sed non omnes discernunt Politicam à perversâ ratione Statûs, nec Politicum ab improbo Statistâ.

Politici haudquaquam meretur nomen, qui tantum tempori, aut personis servire, connivere, simulare, fallere, ad instar Vertumni ad omnem horam se fingere, & cum S. Sancta Religione ludere nôrit. Amphibium hoc est, & monstrum iniquitatis.

Infames illi Politici, qui cum regimine & munere publico artes suspectas flagitia & fraudes conjungunt.

Etiam inter certamina vitiorum viri cordati fidem integrum, nomenque viri boni conservant.

Politicus ex Etymo: ὁ πολιτικὸς νοι

non aliud, quām homo Civilis dicendus, qui Reipublicæ gerundæ ope & consilio præstò est.

Vir Politicus capacitate, arte, & experientiâ polleat. Sit cautus, non verfutus; Conſtant, non contumax; Juſtus, non ſeverus; gravis, non fastuosus; dexter, non præceps; plus aliis, quām ſibi natus.

Quatuor in agendo habet scopulos: fastidium, contemptum, iram, ac nimiam celeritatem. Quidquid ex normâ horum resolvit, minimè politicum est.

Politicus priùs eſto bonus Ethicus.

Viris justis & in Ethicâ fundatis aſſitit DEUS singulariter, in publicis & Politicis negotiis.

Bonitas illa moralis eſt ſupra myrrham & alöen, quæ reddit Statiftam incorruptibilem coram DEO & hominibus, in vitâ & morte.

Politicus, qui rem nullam privatim quærit, haud abducit unquam men-

tem à Republicâ, sed iisdem semper inititur principiis recti, honesti, & causæ universorum.

Nulla inde Politico culpa, quod se obtegat: & licet non dicat, quæ sentiat; sat est, si agat, quæ recta sunt.

Simulatione & calliditate ita utitur, ut non habeant innocentia & veritas, quod doleant.

Virtus Politico nunquam malè proficit, sorti videlicet utriusque subjecto: in adversis fortitudine, in secundis modestiâ se conspicuum reddet.

Politicos viros celebres nuncupat ipsa Sacra pagina, consilia ineuntes cum intelligentia, ducentes populum constantibus consiliis, & intelligentiâ Juris popularis.

Verum sicut difficile hucusque fuit, formare aliquam Rempublicam ex normâ Platonis; vel oratorem ex mente Ciceronis; vel belli ducem ex Xenophontis præceptis: ita vix minus difficile est, invenire hominem Statistam, qui omnibus numeris absolutam,

lutam Civilis Sapientiæ theoriam, &
praxim suisset aſſecutus.

Raræ aves hæ in terris nostris: ve-
niā omnium hoc aſſevero.

Quò quis in Republicâ majorem
dignitatis gradum est consecutus, eò
DEUM colat ſubmissius: & ad ſe-
quentia advertat.

Omnis Civilis administrationis fun-
damentum eſt recta ratio, quâ innixa
Respublica, bona; quæ verò illâ caret,
mala habetur.

Omnia deinde proſpera evenient
Reipublicæ, colenti verum DEUM.

Quibus in Rebus publicis nullus eſt
verus DEI metus, in iis neceſſe eſt ex-
tare vel ſummas Magistratūs crude-
litates in ſubditos: vel ſubditorum
inter ſe ſeditiones: vel extēnorum
hostium in eas Respublicas bella gra-
vissima: vel ſapè hæc ſimul omnia.

Salus universorum, in bene ordina-
tâ Republicâ ſuprema lex eſto.

Bonæ leges ſunt Reipublicæ ner-

vus: at in iustitia & effrenis licentia, Re-publicæ est tempestas periculosissima.

Præstat Rempublicam publicè esse felicem, tutam & divitem, quam singulos & privatos. Nam illâ felice, hi quoque servantur: his autem beatis, illâque miserâ, uterque periclitatur.

Plebs oppressa, & spoliata, se & Rempublicam facilè venalem habet.

Miserrima illa Respublica, quæ nec pacem ferre, nec bellum potest.

Tria pessum dedere Romanam Rempublicam: proprium commodum, juvenile consilium, & latens odium.

Pereunt per inertiam, & per labores surgunt Respublicæ.

Duo venerandam reddunt Rempublicam: vis foris, & domi concordia. Strenguitas nimirum adversus hostes externos, & mutuae promptæque invicem civium suppetiæ.

Anima Status popularis est æquabilitas inter cives, & pro conditione cujusque, suus honos, locus gradusque assignatus.

Hoc

Hoc partium est, in Republicâ diversarum, justum quoddam inter se se temperamentum, ne una pars alteram opprimat, aut nimium possit: hoc lenocinium est, quod facit, ut omnes sint contenti præsenti rerum statu.

Summis diu stare Rebus publicis negatum: Currunt hæ suam periodum, sicuti cætera omnia. Diis fermè æqua Romanorum potestas, tunc perii, cum summa fuit.

Magnæ Republicæ suæ libertati, si nimia fuerit, succumbunt.

Nunquam eò perveniant, ut magnitudine suâ laborent.

Et quæ Rempublicam maximè conservant, sunt fermè ejusmodi: Bonarum legum inviolabilis authoritas, Magistratum in munere obeundo prudentia, diligentia & alacritas: populi erga Magistratus obsequium: Ci-vium inter se concordia & consensus: Magistratum erga populum paternus animus & cura.

Accedunt : Juris cuique sui tuta possessio & conservatio, privatuarum familiarum recta institutio, honestorum morum observatio, pauperum civium publica cura.

Prae ceteris: Unius Religionis cultus & Zelus.

Tres sunt in universum Reipublicæ formæ: nam cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt.

Non modò difficilis est, verùm etiam parùm diuturna, cùm ex unâ formâ in aliam mutatur Respublica; nisi firmissimis præsidiis nova illa forma constituta muniatur, ut illi paulatim cives assuescant.

Omnies Reipublicæ formæ non corruptæ, bonæ sunt, & illa mihi optima videtur, quæ obtinet. Omnis enim mutatio hic est perniciosa.

Tam diu veræ Reipublicæ formæ in suo statu perdurant, quamdiu, qui in iis præsunt, omnia referunt, non ad suam utilitatem vel libidinem; sed

ad ipsius Reipublicæ commodum & salutem: idque sincerè & non fictè. Facta quippe per se quamprimum concidunt.

Una sola & pura forma Reipublicæ concipitur faciliùs, quàm datur: & si datur, in longum vix perseverat.

Ex duabus vel tribus rectè commixtis speciebus, resultabit stabilior Respublica, quàm si simplicitate & puritate unius constet.

Romana Respublica tunc floruit maximè, cùm divisam habuit potestatem in Consules, optimates & populum.

Optimates in utramque partem attemperant Rempublicam: ne potestate Consules excedant; neve libertate insolefecat populus.

Populus in officio continet Optimates, cùm hi contra consensum illius, nec leges condere, nec majores Magistratus creare, aut prorogare valeant; imperentque populo, non ut subdito, sed ut inferiori: & eâ quidem le-

ge, ut Optimates rationem administratæ Reipublicæ reddere teneantur.

Naturam inspice, orbem peragrat & comperies, ex dissimilibus rectè composita optima esse; ajebat Lipsius.

Elementorum sibi adversantium temperatura universam naturam conservat, nutrit & delectat. Dissimillimæ in Musica voces, in æquam Harmoniam conjunctæ, concentum edunt Angelicum.

Exæquatio justa graduum, officiorum, honorum, civium, militum, divitum, pauperum, summorum, imorum, imperantium denique & obsequentiū; Rempublicam reddit harmonicam, potentem, conspicuam, etiam si quædam, etiam natura neget.

Quanta in lacunis Venetia, in arido solo, & sterili pelago Genua, in horridis Alpibus Helvetia, & quam potens in pugillo terræ Batavia!

Industria, dexteritate, labore, unitate, disciplina in immensum crevère Respublicæ,

Res-

Respublica Optimatum optimos vult
sui Rectores, idèque paucos: quia
optimi pauci sunt.

Optimi corrumpuntur corruptâ
in abusum potestate publicâ (quo nil
in Republica deterius) quia corru-
ptio optimi pessima.

Corruptionis causæ plerumque à
præpotentia Optimatum: à simultati-
bus inter se: à diu continuatis hono-
ribus: à livore denique & ambitione
suam trahunt originem.

Minuenda potentia in tempore,
quam in abusum transire suspicamur.

Aditus ad honores præcludendi, si
quibus eos rursus reddere grave foret.

Simultates tolluntur, vel sublatione
causarum, vel separatione persona-
rum, vel ex præscripto exæquatâ po-
testate.

Illud dicam: Eam regendi formam,
quâ pauci immoderatâ auctoritate
Rempublicam gerunt, paucorum sem-
per Tyrannorum fore.

Hi tantò erunt uno Tyranno pér-

niciosiores , quantò pernicies omnis capitalior ac nocentior erit multiplicata, quàm sola.

Ab iis, qui de Republicâ scripserunt, Democratia minus laudatur, quàm ubi ad unum, aut ad Optimates omnia referuntur.

In Democratico statu utilitas populi potius, quàm Jus: libido, non æquitas spectari, & vincere ut plurimum sollet.

Cùm populo, an aliis, quàm furiosis, exponitur justitiæ trutina? Sic Anacharsis perstrinxit Athenienses.

Invidiam sibi accersit in statu populari, qui supra popularem pompam conspicuum se reddit.

Indè ostracismus, inde petalismus, apud veteres non tam vitiorum, quàm saepissimè virtutis supplicium.

Spiritus Democraticus in se plerumque egenus , abominatur divites & fastuosos.

In Democratiâ, ait Xenophon, tenuiores potius, quàm divites & Optimates

mates clavo Reipublicæ præficiendi, ne
Reipublicæ hujus forma statim everta-
tur.

In Democratico statu, usque quod
Magistratus populo omnes non subji-
ciantur, quietis haud ulla spes est.

Multorum capitum sensus sunt va-
rii, & in hac perturbatione vix con-
stans judicium.

Status popularis ne corruat, præsi-
diis eget fortissimis, inter quæ maxi-
mum est: Aristocratiæ quædam levis
mixtura.

Democratia libertatem magis curat
quam DEUM, opes, arma, honores: &
tamen ex immodicâ libertate plerum-
que prolabitur in servitutem.

Statum sua quemque informat Po-
litia propria. Status non, sed pro-
vinciæ dicendæ, quæ alterius Regi-
mini & Politiæ, velut membra subje-
ctæ sunt.

Omnis Politia consistit in recto or-
dine imperantium & obsequentium.

Or-

Ordo iste legis effectus est, lex regiminis, regimen imperii.

Status concipi non potest sine imperio, ordine & lege, quippe hæc constitutiva Statûs sunt.

Omnis status suam formam habet: hæc specialitatem suam participat ab ordine, ordo à lege, lex ab imperante aut uno, aut paucis, aut pluribus.

Multum interest, optare talem formam statui, cuius ipse capax est.

Non gens quævis idem patitur fratum, non idem commodum quemvis respicit statum.

Homines vix dant formam statui, sed connexio quædam causarum naturalium, & præsertim extrinsecarum, quæ tam diu agunt, laborant, seque impendunt, ut statum eò ducant, vel reducant, ubi stare firmiter & quiescerre valeat.

Ideò Status mutari sæpè legimus, & tandem firmari comperimus.

Status disuniti, si se suis viribus tueri nequeunt, vel periclitantur, vel gravis-

vissimis incommodis impensisque subjiciuntur.

Omnis Status comprehendit sex præcipua munia: Cultum DÈI, Dicasterium iustitiae, arma, opes, artes, alimenta. Quibus correspondent totidem classes hominum: Clerus, Magistratus, Nobiles, Cives, opifices, rurales.

Status motu raptus in fastigium deducti, citius pereunt, sicuti omnia violenta & præmatura.

Nihil natura repente perficit: habent in principio omnia suos nævos: qui si neglecti, ruinam potius, quam firmitatem rebus invehunt.

Non solum acquirendo, sed magis conservando: non tam augendo, quam emendando: plus cavendo, quam præsumendo: æque prævidendo, quam providendo firmari Status, certum est.

Nullum fortius sive munimentum, sive præsidium Status concipitur, quam unio Civium.

Fasciculus in triplum junctus, difficile

cilè rumpitur; simplex à vento quovis rapitur.

In magnis Statibus juvat interdum parva negligere commoda, ut liceat consequi majora: at in parvo statu ad quævis respiciendum.

Uno vigilandum oculo ad omnes Status motus internos, ne extra orbitam primi Regiminis se moveant: altero inspiciendum; quid agant vicini, quid amici, quid fœderati, quid hostes?

Omnis ruina Statuum procedit à violato ordine recte imperandi & obsequendi.

Id tamen refunditur in duplicem causam: extrinsecam, & intrinsecam.

Causa omnis mutationis Status extrinseca procedit ab inimicis; qui vel jam in Statu sunt, vel foris.

Hi utробique adlaborant, ut vinculum obsequii solvatur inter Imperantem & obsequentem: quo soluto, necesse est solui Statum.

Causæ internæ tres sunt: injuria, timor, & contemptus.

Magna-

Magnanimus non facile committit injuriam, facilius tolerat,

Propriæ vilitatis nota est: ab Imperante facta subdito injuria, vel calumnia.

Rex Philippus occisus est à Pausaniâ, olim injuriâ affecto à Rege. Illius filius Alexander vix ultrices Hermolai offensi manus effugit.

Metus reciprocus inter Principem & subditos, malus custos est perseverantiae Statuum. Subditi tam metuendi, quam metuentes meditantur præcipitia.

Ex contemtu sensim deficit Imperantis Majestas, tandem prolabitur.

Contemtus vincitur gravitate, & integritate; Sicut odium, innocentia & conniventia: vel invidia, magnanimitate, & liberalitate.

In generosa mente sensibilius malum est, contemtus; quam damnum quodvis aliud.

Animata imago Rex putandus est DEI: DEOS in terris regnantes appell-

pellat Scriptura: quia illius vicarii sunt.

Nemo magis mortalium DEO cordi & curæ est, quam Reges, Principes ac populorum Rectores; propter similitudinem illam potestatis Supremæ, quæ in se quid divinum est.

Omnis potestas est à DEO, & qui potestati resistit, divinæ ordinationi resistit.

Injurius in cœlum est, qui Regem contemnit in terris, cuius cor in manibus Domini: quemque Homerus singulare DEI donum hominibus datum appellavit.

Jure divino & gentium, Regi debent subditi obsequium; nec his ille negare audet ullo tempore justitiam, consilium, protectionem.

Hoc enim fine creati sunt Reges: Jus dicere populo, consulere publico, & ab infestis tueri.

Regnum, Imperium, Principatus in eo residet, qui ejus absolutam habet potestatem.

Id proprium Regum est, neminem præter DEUM pati judicem.

Illius Majestas non commensuratur amplitudini Statuum, vel potentia virium; Sed independentiæ potestatis, & libertati imperandi.

In exiguo Regno Rex tantæ potestatis est, quantæ maximus Monarcha Europæ.

Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat.

Cœpere illud Cainus ante: Nimrodus post diluvium, & fermè sine æmulo.

Commoda universorum, imperantium beneficia, securitas obsequentium, prima suê Regiæ potestatis rudimenta, & communionis civilis causæ.

Semper erit felix Imperii Politici structura, cuius basis est Religio. Hac neglectâ corruet illicò, quippe destituta lapide angulari.

Sub DEO primùm curvari debent, qui portant orbem.

Re-

Regi non tribuit characterem. Corona & Sceptruim, sed præmissa merita, & præsentes Regiæ actiones. Debet enim Maximum in populo, Optimum esse coram populo.

Examinatur & probatur dignitas Regia non secùs, quām avium Princeps aquila, converfis in solem oculis.

Prima Regnantum fama, sive bona, sive mala, semper erit magna, & nonnisi cum regnante emorietur.

Plerumque evenit, ut qui Principes famam hominum contemnunt, iidem etiam contemnant virtutes; & præclara quæpiam, dum vivunt, agere negligent.

In novum Principem omnium vertuntur oculi, omniumque spes, velut in orientem solem.

Felix Princeps, qui tantorum votis correspondet. Felicior, qui in meridie non languet, & in occidente vitæ idem est, qui in oriente fuit imperii.

Præ cæteris Clementiæ fama novum imperium inchoantium, omnes in

in amorem & ultroneum obsequium abripit: omnemque antiquorum Regum authoritatem conciliat bono Principi.

Primus esto conatus Regnantis, amoris fundamenta ponere in animis subditorum.

Facilius suffert populus Principem vitiosum, dummodò clementem & affabilem, quam virtuosum & difficilem.

Morosi Principes, qui à subditis non videntur facile, & in aula delitescunt, ut feræ in cavea: æmulum brevi habebunt foris in campo.

Novus Princeps initio Regni in proceres, populumque morosus, severus, omnes in se concitat, & ferè dejicitur, vel occiditur. Exempla sunt utriusque paginæ.

A novo Principe & nondum satis confirmato, nihil in quempiam, populo gratum, aut potentiorem, quantumvis reum, vi apertâ tentandum acerbius.

Dissimula, si indulgere non potes: parce, si periculum desit. Offensus quantumvis graviter, prius securitati tuae, quam vindictæ consule.

Novi Principes modestius, & ex partibus legibus sese gerant.

Principi secundum leges imperanti major accedit gloria, quam ex quacunque alia Regnorum accessione.

Periculosisimum quippe est, ab uno ad alterum extremum impellere Rem publicam.

Obliquandum potius ad vim interati moris, ut sensim secundum leges prudentiae, cum moderatione atque affabilitate, assuescas subditos in tuum morem.

In novo Principe, invidia Regni, quasi praeter Jus occupati, facit omnia illi infida & infesta. Itaque tutissima est Regum securitas, legitima adepti Principatus ratio, & ex omnium consensu.

Externos Reges vix ferunt populi: metuuntur, ut agant, quasi in Rem publicam aliquid aufuri.

Com-

Communiter, cùm investiuntur, jurant Reges, de non abolendo, quod antiquitùs concessum est: de non abalienando, quod innexum est Coronæ.

Argumentum inde clarum: eos Administratores esse Regnorum, non Dominos.

Qui imperant serviunt iis, quibus imperare videntur.

Nunquam sunt à fastidiis, à negotiis liberi, nunquam sui: intenti tám saluti publicae curandae, quām suae invigilandae, auribus occupati, linguā continuò soluti, manibus semper ad capulum, oculis in excubiis, pedibus in non interrupto motu: toto spiritu anheli, ut suorum subveniant necessitatibus. Sic regnare, servire est.

Correlativa sunt honor & labor, Regnum & onus. Planxit Seleucus, ex Regni unius fastidio. Planxit Alexander ex plurium non tám Regnorum, quām mundorum desiderio; cùm plures amplius non essent, quos vinceret.

Amplissimas licet ditiones contine-

ant Imperia & Regna: eorum Solia nihilominus ita arcta sunt, ut nunquam capiant duos.

Omnis Potestas summa, est impatiens consortis: nec facile inter duos ejusdem Reipublicæ Reges convenit.

Unum Imperii corpus unius animo regendum.

Regna quidem duos possent ferre Reges; sed Reges nolunt socios ferre. Eorum quippè interest, omnem Potestatem ad unum referri.

Unus, vel tres sàpè: nunquam duo feliciter regunt. Quia duo boni fieri possunt mali: at duo mali nunquam fiunt boni.

Ex pastoribus fecit DEUS primos Reges, Saulem & Davidem: ex agriculturâ & venatu evaserunt primi Tyranni ad imperium, Cain, Nemrod & Esau.

Feriebant isti terram, ut produceret germen, & fructus: feriebant belluas & feras, ut ipsis in pastum servirent.

Pastor non ferit gregem ovium, sed diri-

dirigit, educit & reducit in ovile: exonerat lacte, pellem non detrahit, sed deglubit lanam, ovium nimirum sarcinam, utriusque & gregis & pastoris commodo.

Discite ex hoc, mei Principes, quid vestri juris, quid muneris sit!

Rex David aliquando edixit: si mei non fuerint mihi dominati, immaculatus ero. Qui autem isti dominatores Regum sunt, ut inurere quirent maculam Davidi, Soli fulgentissimo Reipublicæ? Quis Momus hoc audebit in coronatum verticem?

Ita est, mei Regnantes: Dominatores vestri sunt illi animi affectus, qui vos remorantur à virtutis tramite, & à vestro munere.

Ipsum regium nomen stimulat ad aucupanda nova Regna: Gloriæ cupiditas (rectius Ambitio) nec majorem, nec sibi parem tolerat: amant suspici & timeri; nolunt reprehendi, nec videri errasse.

Metuunt insidias, quæque suspican-

tur, obſervant parium potentiam & æmulantur: nequeunt ſibi quidpiam negari, opponi, nec planè differri.

Spe longâ, difficulti, dubiâ anguntur, & plane ſe præcipitant.

Nil querunt magis follicite, quam longævam vitam: ſua magis, quam publica intendunt. Inclinant denique ordinariè in quibusque, magis ad rerum excessum, quam ad æquilibrium.

Non regnant, ſed ſerviunt, qui ejusmodi affectibus, non regulatis, homagium præſtant.

Porrò aditum ad Regnum aperit vel Electio, vel Successio, prout ſuus cuique gentimos eſt, & uſus.

Successionem imperavit DEUS, ubi Davidi ſuccedit Salomon & deinceps.

Idem apud Persas, Medos, Affyrios, Indos, Græcos, Ægyptios, Turcas, Hispanos, Gallos, &c. & communiter mos obtinuit.

In Electione, imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus: in Successione

sione autem minori discrimine sumitur, quām quæritur Rex.

Maximè in Electivis Regnis non expediunt crebræ Regum mutationes: ne unà turbetur, aut mutetur Statùs forma & ratio.

In Successivis Regnis magis est absoluta potestas in Principe, quām in Electivis. Quia in his plerumque præscribuntur leges regnaturis.

Caveat Electus à Prædecessorum Regum liberis. Præteriti, facile insurgunt.

In Regnis Electivis, quò seditiones vitentur, satius quempiam ex primo ordine virum bonūm, & de Republicā singulariter meritum, Statuum sententiā designari, etiam adhuc vivente Principe, ad Imperii successionem: quām incitum relinquī, quis eo mortuo successurus sit.

Magnis attamen scatet hoc corruptelis & periculis, nisi ex Regnatrice domo ille designetur.

Felicitior illa Respublica, quæ impera-

turos semper in cunis habet. Horum certitudo multorum elidit spes & emulationes.

Designatio novi Principis, illiusque dignitatis ab eodem acceptio, fieri debet cærimoniis, more, & loco solitis: & eo præsente, tūm publicè DEO, tūm electoribus gratiæ reddendæ.

Quò autem majorem habeat potentiam Princeps, tantò minorem sibi indulgeat licentiam; quò potentior ille est, quam subditi, eò potentiores hirunt, si ille suā potentiam abutetur.

Quia pauci hoc credidere, jam plurimi periēre.

Diurna potentia, si supra quam necessaria est, exerceatur, vix ad ultimum existet secura. Quò illa rariùs, tantò exercetur diutiùs.

Potentia usurpata in odium subditorum, plerumque deperdit vires suas: quia à renitentibus, & invitis vix tumultu quidpiam haberri potest.

Fragilis potentia, quæ ex se non sustinet. Alienæ alæ sensim & successivè decidunt, & cum illis Icarus ipse.

Potentiam magis sustinent consilia temperata & media; quam difficilia & violenta; in his jacturæ est periculum; in illis saltem sine discrimine spes emolumenti.

Ne semper confidat potentiaæ suæ Princeps: Omnia quippè mortalium opera mortalitate damnata sunt.

Inter peritura vivimus. Princeps es: Sed cogitate esse etiam hominem.

(a) Rectorem te posuerunt, esto in illis quasi unus ex ipsis: Curam illorum habe, & sic conside, ut omni curâ tuâ explicitâ, recumbas, & læteris propter illos.

Ne elevetur cor tuum in superbiam, nec declines in partem dextram, vel sinistram; ut longo tempore regnes ipse, & filii tui. En tibi, ex ore Veritatis, methodum planè brevem firmandi Principatus.

Rex est constitutus ob eminentiam Virtutis, ait Aristoteles: ubi hæc resplendet, promptius semper est Sub-

(a) Eccl. 32. v. 1.

ditorum obsequium : & vinculum quoddam melioribus parere.

Bonus Princeps nihil differre debet à bono Patre. Filii tibi sunt Subditi tui: alendi nimirum publicâ rerum, tuâ dexteritate inectarum, abundantiâ: avertendi à malo, & corrigendi sine odio: exemplo magis, quam præceptis trahendi: educandi à teneris in promptum Reipublicæ obsequium: excitandi spe gloriæ: promovendi ex merito.

Denique bonos Subditos facit bonus Princeps; & boni Subditi sunt corona Regis.

Mores imperantium, ut illi sunt, vel corrumpunt, vel ædificant Subditos: hi regulam ab illis accipiunt.

Cum viderint illorum sive Virtutes, sive vitia; imitari adlaborabunt: sed magis hæc, quam illas.

Conspicitora sunt semper in Principibus vitia, quam Virtutes: quia ex somite naturæ magis trahimur in illa, quam has curamus.

Regnan-

Regnantium exempla ad paria alli-
ciunt Subditos. Tacitè promittunt
impunitatem, immò multis cristas in
spem præmii erigunt.

Sic sensim criminibus paratur licen-
tia, & Salvus Conductus malefactis
conceditur,

Snbditi videntur approbare opera
Principùm, cùm illis similia agunt.
Similitudo amorem gignit, & ab amo-
re gignitur.

Principale instrumentum regnandi
est, Cognoscere genium & naturam su-
orum Subditorum,

Omnès quidem nascimur sub uno
Cœlo homines; attamen sua cujus-
que climatis, & singularis temperies,
ac exinde genii humani diversa incli-
natio, diversi mores. Hæc qui rectè
dijudicat, facile imperat.

Ideò maxima in regendis Subditis
personarum habenda est ratio: non
omnes idem patiuntur frenum. A-
lli comitate & dulcedine, alii in virgâ
ferreâ, alii exemplo, alii spe gloriæ

vel mercedis, alii minis tantum, alii non nisi suppliciis trahuntur in obsequium.

Ut nimirum illi vel ingenui, vel per vicaces; vel ambitiosi, vel mercenarii; vel meticulosi, vel desperatae emendationis fuerint.

Mediæ classis Subditi facilius reguntur, quam potentes, & miseri; hi ex necessitate, illi ex fastu, sæpenumero imperium detrectant.

Singulare Imperium abhorrent Subditi, & facilius omnes, quam singuli obediunt. Oves vix singulæ, sed grex universus sequitur pastorem, auditque promptius tibiam.

Effrenes Subditi plerumque pro genitore habent furorem, & pro matre instabilitatem.

In rebus ultimis ex desperatione fuit Populus. Unitus leonem agit, divisus capram.

Concordes & unitos Subditos metunt mali Principes, boni fovent. Satellitum istis sunt, excidium illis.

Magnum illud est Principis encomium.

mium, de quo dici potest: Amat, & amatur à Subditis.

Amari si vult Princeps & respici, prior amet, & respiciat suos Subditos. Quod si obtinuerit, etiam Usurpatorem illi libentiùs ferent, quam naturalem Principem.

Promissorum fides servata Subditis, Religionis constantia, nulla in Sacris immutatio, idem mos, idioma, & amictus, patria matrimonia , nova spes commerciorum cum exteris, inventa abundantia, suppliciorum raritas, frequentior beneficentia, æqua in omnes Justitia, patriotarum præ externis cura & æstimatio, ejusmodi sunt , quæ etiam Tyrannos stabiliunt, legitimos verò Principes in immensum provehunt.

Hæcce firmiora regnandi instrumenta sunt, quam arma, opes, fœdera, & quæcunque alia.

Qui populum suo Imperio addicere, vel sibi benevolum esse cupit, oportet, ut illum sublevet in iis, ubi maximè deficit & dolet: quippe populus nihil

dijudicat ex justi norma , sed ex sensu illecebrâ,

Præsentia curat populus , futuris vix affligitur nec explorat Curiæ negotia , ubi abundantiam invenit in foro.

Neo-acquisiti Subditi raro perseverant in fide, nisi certa commoda habent à novo Principe, quibus continentur in officio.

Facile inducitur in mentibus Subditorum, oblivio præsentium novorumque imperantium ; & gignitur desiderium antiquorum: quam primum cessant sperata commoda, vel subtrcta.

Principes, qui imperant iniquè & injustè, ægrèsibi obsequentes Subditos, aut benevolos habent.

Insperatae, inusitatæque clades Subditos, perplexos, & nutantes reddunt.

Tunc maximè in spem erigi à Princeps debent, per pollicitationes, & subornationes quorundam, qui auctoritate populari pollent, noruntque pericu-

ricula imminuere, & populum in adversam opinionem flectere.

Ut novi Subditi facilius nobis assuefcant, nostrumque ferant jugum; erunt oneribus & tributis antiquis levandi, & afflictis & calamitosis ex ærario planè publico subveniendum, ut sciant in emolummentum suum eos mutasse fortunam,

Naturale est Subditis, libertatem desiderare, præsens jugum excutere, credere, nova omnia esse meliora: tandem insolescere, insultare potestati, quam planè existimant contra naturam esse inventam, & meram usurpationem Potentiorum.

Eadem autem vox, quæ dixit: Mihi data est omnis potestas in Cœlo & in terra, subjunxit: Potentes dominantur in terra: quasi digito ostenderet, vicariam in terris Principum potestatem esse, cui ex lege DEI tenentur Subditi obedire, & non ex sola lege Politicâ, vel Gentium.

(b) Lex divina jubet: Subjecti esto-
(b) 1. Pet. 2. v. 13. seqq.

te sive Regi, quasi præcellenti, sive Duci-
bus, tanquam à DEO missis, quia sic
est voluntas DEI. (c) Non resistite
Potestati, sed obedite, sicut Christo:
non solùm bonis, sed etiam dyscolis.
(d) Qui potestati resistit, DEI ordina-
tioni resistit. (e) Principi populi tui
non maledices. (f) DEUS regnare
facit hominem hypocritam, propter
peccata populi. Hæc non tam divi-
næ Legis monita, quàm præcepta
sunt.

Subditi interfectores suorum Prin-
cipum, ut omnis ætas docuit, non
multum supervixere, neque sua mor-
te defuncti sunt: aut comprehensi
& damnati, aut alio adverso casu pe-
riere.

Successores in Principatu, si non in-
terfectionem, interfectores certè sem-
per odisse constat: tradito Princi-
bus more munimentum in præsens,
ultionem in posterum.

(c) Eph. 5. v. 5. (d) Rom. 13. v. 2. (e) E-
xod. 22. v. 28. (f) Job. 34. v. 30.
Sapi-

Sapientes Subditi nunquam imperantium iras in se provocant, sed potius nocitaram potentiam vitant; hoc primùm cauti, ne vitare videantur.

Biantis regula fuit: amicitias nimio splendore nitentes, & quidquid colitur conspicuum, fugito.

Tutò agunt Subditi, qui nec aulæ libricum terunt frequentius, nec arcana scrutantur Principum sagaciùs, nec facta eorum examinant curiosius; sed intenti officio, prompti ad obsequium, eò tantum connituntur, quò jussi.

Nihil acerbius ferunt Principes, quam Subditorum expostulationes, ac beneficiorum in se collatorum jactantiam.

Non qualemque obsequium, sed modestum, humile, efficax, decet præstare subditos suo dominanti.

Facilè rebellant illi Subditi, quibus in pace conditio & servitus graviore est, quam in bello.

Ut quisque populus, vel privatus, maximè se dignum libertate & immuni-

nitate putat; ita maximè insidiatur ei, qui libertate illum privavit, numeratque momenta omnia, quò se in libertatem fando, infando jure asserere valeat.

Non est permittendum in novo Principatu, ut Cives sive Subditi, ni miùm diu armis & bellis assuescant: nam inde ferociores fiunt, ac magis dominandi, quam obsequendi avidi,

Novas arces & munitiones extruere minimè concedendum est Subditis: Insolentiæ popularis magis sunt Asyla, quam prætexta hostium repagula. Testis priori ævo Gallia in Rupellâ, Suspetti ut in officio continēantur, etiam armorum gestatione exuendi sunt.

Nullus Princeps à suis Subditis justè puniendis arcendus est: & qui id agit, parem in se legem statuit, ne & ipse suos Subditos delinquentes punire præsumat.

Ante apertum indictumque bellum minimè licet alienos rebelles Subditos in suam tutelam accipere.

Quanquam Subditi rebelles sunt puniendi ; non tamen ea pœnâ, quæ vel eos ad desperationem adigat, vel aliis, si nos offenderint, persuadeat, nos semel offendos, implacabiles fore, adeoque nihil æqui à nobis impetrari posse.

Immò si bello recepti sunt, quantum fieri potest, aliquo beneficio conciliandi sunt, quo suum errorem agnoscent.

Recidivi rebelles in virgâ ferreâ regi debent: non ita alii: sed nec illi, nisi obfirmato Regno, & factâ cum vicinis & hostibus pace.

Magna Subditorum rebellium, ad placandos Principes suos ratio, & via est, si statim eos pœniteat, & armato Principi contra se venienti, omnia pacis & subjectionis signa ostendant. Ut uxor Nabal's stupidi, Abigail, frenimenti Davidi obvia, muneribus & submissione iram sedavit exacerbati Regis.

Sublata à regnatis olim data pri-
vile-

vilegia, conturbant ita aliquando populum, ut non vereatur se præcipitare in machinationes, sibi, Regnanti, & Reipublicæ perniciosissimas.

Magna autem vesania est, cùm subditi, volendo conservare privilegia, se periculo exponunt, ea planè perdendi. Tantundem hoc est, quām quærere pacem, & quærendo amittere pacem.

Successit hoc Batavis: centum aliis malè cessit.

Eodem modo Immunitates valdè inæquales inter Subditos, qui sub una lege & sub uno Principe vivunt, sæpe causant discordias & civiles seditiones.

Noverca Pacis est inæqualitas inter Cives.

Privilegia & exemptiones fundantur quidem in Justitiâ distributiva, multum tamen abrogant legibus, & non solùm singularitates odiosas inducunt, sed etiam confundunt licitum cum illico, eatenus, ut non videantur

tur amplius res licitae vel illicitae ex natura sua, sed ex arbitratu Principis.

Multi Successores indoluere praedecessorum prodigalitati, in indulgendis in privatos immunitatibus.

Non tantopere refert, turbato populo quædam gratiosa concedere, ut seditio sopiaatur: sicuti Medici solent febrili æstu laborantibus modicum gelidæ propinare; sed confessim oportet, vel sensim (ut tempus & occasio volet) sedato æstu remonstrare seditionis, quid illis conveniat.

Jura suprema Majestatis communicare Subdito, est quasi venum expone-re Majestatem Imperantis.

Tantundem discriminis subit Princeps ex ultroneo consortio Solii, quam ex æmulatione & insidiis hostium.

Indignum semper fuit, Subditos, (quorum gloria est in obsequio) jactando sua Privilegia, insultare Principi.

Ingratitudo summa est, non velle fateri, ex quo fonte illa promanant.

Parciūs mei Principes indulgete, quod posteris vestris verti valebit in injuriam, & forte jam in præsens offici tri communi.

Monopolia, ac alia similia, quæ privilegia sunt Principum, nequaquam transeant in usuram privatorum, & ruinam universorum.

Privilegiorum prodigalitas nunquam cessabit, nisi conferendi ratio, Virtus & merita fuerint Subditorum. Ad mercatum ire cuique licebit, ubi auro emitur, quod alias Virtuti & merito debetur.

Magna Statûs Ratio est, nosse depri-
mere illos Subditos, quos metuit Imperans: & evehere, qui sibi facessere negotium minimè ausint.

Semper obtinget, ut eleves, quos voles; sed difficilius eveniet, ut illos deprimas, si nolint.

Si cui potentia plus æqua imminuenda est, modice, ac non uno seimel impetu,

petu, sensim & non repente, præcide magis, quam tolle.

Quos formidas, cunctanter cum iis age: suspectos, palam cole, clam observa, nunquam eleva: fidos amicos, etiam per saltum promove.

Neutrales Subditi rebellionem sapient; quia tenentur esse partiales sui Principis.

Ordinata Subditorum in suas classes atque munia distributio, est elegans planè Reipublicæ harmonia. (g) Sta in gradu tuo, dicebat Angelus Domini ad Danielem. Hoc omnis ætas tutum magnumque judicavit.

Sicut autem omnis delectus periculosus & difficilis est, ita personarum evehendarum maximè. Eò vix attingit ratio sæpe, sæpiùs experientia decipit.

Magistratus Virum facit & ostendit. alii evadunt boni, quos metuebamus malos; alii mali, quos sperabamus bons.

(g) Dan. 10. v. 11.

Ma-

Magistratum initia meliora sunt: finis inclinat.

Omnem munus singulares exigit do-
tes; omnibus non una lorica quadrat

Viri magni parva negligunt munia
& ex voto non administrant: assu-
ti ad magna, ostendunt se minores mi-
noribus, & pares majoribus.

Cives non applicati, cadavera sunt
Reipublicæ; otiosi, malarum plerum-
que feriarum authores; retracti, com-
modis suis & rei familiari inservientes;
boni, qui sua agunt sine offendiculo
publico.

Optimi, qui præsunt, & prosunt Rei-
publicæ: sed magni planè, qui finito
Magistratu illustres magis, quam divi-
tes evasere.

Novi magistratus sæpè perdidere
Respublicas antiquas. Vetus experien-
tia præsentis Regiminis est conserva-
tio.

Rectores Magistratum stellæ qua-
dam sunt Reipublicæ; sed Sol ipse
Princeps, à quo in illos diffunditur
omne

omne lumen Potestatis , & ab his illi debetur omne obsequium submissionis.

Boni Magistratus nunquam sejungunt commoda Principis à commodis Reipublicæ, nec hujus emolumenta, ab illius emolumentis.

Virtutis præmium honor est: & emeriti Viri nihil ferunt acerbius, quam cum vident, indignos in honore constitui. Sed sciant isti: Principum arbitria fundari in potestate à DEO accepta, qui etiam sæpè infirma mundi elegit, ut confunderet fortia.

Nihil post ipsum Principatum magius est, quam servire Principi. Nunquam enim non participat de dominatu, qui assistit dominanti.

Nec minor felicitas Regnantis est, tali ministro inniti, cuius integritati tutò fidere, ad cuius excubias secure quiescere, & tantundem illi, quam sibi concedere ausit.

Bonum Ministrum pollere oportet

veritate linguae, integritate cordis, & activitate manuum.

Amplius: etiam inter cæteros eminere Prudentiam intellectus in operando: Memoriâ non facile oblivioni obnoxia: Sagacitatem in penetrando: promptitudinem in respondendo: Vivacitatem in agendo: claritatem in resolvendo: gratiam in dissimulando: Modestiam in resistendo: experientiam in tractando: denique præscriptione bonae famæ, ut de ejus fide & integritate palam constet.

Magni illi Regnorum Ministri, actu licet sint privati; potentia tamen tales esse oportet, ut ipsi Principes esse possent. Nemo quippe artis præcepta dare novit, nisi ipse vel Artifex, vel artem calleat.

Quod magis tamen se ab illâ potentia ad actum subtraxerint illi, tanto securior illos manebit factorum gloria, & minus periclitabitur authoritas Regnantium, & salus Regnum.

Duos scopulos evitare Ministris ap-

pr

primè expediet: Principum videlicet offendam: & odium tam Principum quām aliorum.

Primus pugnat contra reverentiam & officium subditi. Alter æmulationes & persecutio[n]es sibi accersit, quæ semper graves sunt imperanti & Reipublicæ.

Ministri offendunt suos Principes in tribus: vel in passione: vel in conditione: vel in statu.

In passione: si eorum animi inclinationes non promoveant, ut Seneca, & alii probiores ministri, sub improbis Principibus.

In conditione: si eos excedant meritis & gloriâ, aut æquali ferme autoritate, ut Seianus Tiberium.

In statu: si malè sibi commissa regant, aut minùs feliciter; ut Dux Alba[n]us in belgio. Si causam seditionis præbeant, ut Cardinalis Granvelianus. Si rebellent planè ipsi, ut O[r]angius.

Odiu[m] incurru[n]t Ministri tam æmu-

Iorum, aliorumque; ex nimiâ poten-
tia, fastu intolito, contemptu inferio-
rum, & ex ostentatione nimiâ au-
thoritatis. Principis: Cum felices
rerum successus non Imperantis meri-
to, sed sibi attribuunt: cum ingratis
sovent, promovent: cum ex libitu
suo agunt, neglecto regnante.

Nunquam offenso. Principi fida
Minister, neque isti offenso, ille offer-
dens..

Nulla tâm levis injuria est, quæ Prin-
cipem non graviter offendat: quia
Magni non possunt, non minimis qui-
busque lædi..

Imperandi diversis provinciis, &
disjunctis, maximum onus est, cu-
imparés sunt unius Principis humeri;
nisi Præsectorum & Rectorum cura
& delegatione adjuti. Etiam Atlas
vocabit in auxilium Herculem..

Spiritus Principum, si nimium in-
tendantur, extenuari sensim necesse
est. Tutiùs ad majora Imperii nego-
tia reservantur, remissâ ad officiales

parte curarum. Pretiosa, rara & chara, si aliorum copia est, majori necessitati meritò reservamus.

Præfecturæ duplices sunt: Limitaneæ, & quasi externæ: domesticæ, & quasi internæ; videlicet in visceribus Regni. De his non tam solicitus sit Princeps, quam de illis.

Limitaneæ subiacent diversis periculis. Quia Præfeci illorum longe sunt à Primo Mobili, vicini hostibus, qui insidiantur eorum integritati: plerumque majori autoritate prædicti, ac gente limitaneâ (quæ regulariter ferocior, novarumque rerum avidior est) potentes, ac ex his omnibus ad revolutionem, mutationemque Status proclives.

Ejusmodi circumspectè eligi debent, ut tales præficiantur, qui probatæ sunt fidei, pares, & non supra, quam par sit, gerendis rebus.

Ideò facultosi sint sub Principe suo, habeantque multum, quod deperdere possent: uxorati, & prole non orbi:

bit: ætatis imaturæ, nec amplius in fragilitatem pronæ: non infensi suo Principi: non moribus turbulenti & præeoces: nec munimentis, castellis, opibusque nimiiis in ea provinciâ provisæ externi magis, quam domestici: neque nullo sanguinis vinculo innexi vicini ibi potentiis.

In locis periculosis periculosisssimum est Præfectis & Rectoribus authoritatem concedere, sive nimiam, sive longam. Hæc difficile deponitur, illa vix sobriè exercetur.

Circumscripta, dependensque primo Mobili Potestas, vix rapitur in excentricos.

Suspecti provinciarum Rectores sub prætextu vacationis, aut honoris avocandi: si verò notoriè rei: opprimendi confessim: ne ex mora aut dissimulatione exasperetur morbus, nullo postricà curandus ferro aut igne.

Tunc primò revellantur Præfectorum excessus, cum præfecturæ depo-

nun

nuntur. Ideò olim Syndicatus erat frequentior.

Improvisæ officialium mutationes conservant officia in statu, quo fuere: alias mutilanda certò, si scirentur deponenda:

Provinciarum Rectores, qui se duraturos in officio existimant, non ita excoriant Subditos, quām illi, quorum potestas brevis est. Dæmonia cùm jam ex obsessorum corporibus egredi debeant, tunc illa torquent terribilius, & evomunt pessima quæque.

Necessarii sunt Consiliarii Principi ad sustinendum Imperium: Verum illi si non excellant prudentiâ, si fide careant, si experientia deficiant, magis præcipitant Principatum, quām sustinent.

In rebus arduis nil quidem utilius, sed etiam nil periculosis est, quām petere consilium: neque minori periculo caret, suo tantummodo stare consilio, sicuti & omnia agere ex aliero.

Multi Consiliarii confundunt consilia. Neque multos habe, nec unum; sed neque unicum.

Tantò magis absolutus est Princeps, quanto minus necessitati qualicunque adstringitur: an autem non se adstringat, si unicum consulit?

Ejusmodi Consiliarius trahet Principem, non ducet: arbitrabitur in illum, cum se unum necessarium sciverit.

Magna felicitas est, uni tantum posse inniti: sed rara, quia in magnis Viris rarior est constans modestia.

Consilium querere Sapientis est, dare amici fidelis: a sublimiori petere, vel ab unico accipere, obligationem exequendi inducit.

Principes maturi & experti, multorum audiunt consilia, cum paucis illa aut cum uno conferunt, soli decernunt, & resolvunt.

Hinc varii sunt Consiliarii: nimirum, particularium negotiorum, bellæariorum, Justitiae Civilis, Criminalis item

item externi, ut provinciarum Præfeti, Judiciorum assessores, Urbium Senatores, ædiles, &c. qui omnes vel Magistratūs, vel Cameræ, vel Regiminiis, vel Judicij publici nomine comprehenduntur.

Consiliarii Statūs omnium supremi sunt & propriè Supremi Statūs, Principi, in materiâ concernente totum, vel in suis partibus, Imperium altumque Dominium; consiliis suis fideliter assistunt.

Inter hos quidam pauci Conferentiarii dicuntur, cùm quibus Princeps auditis aliorum consiliis, vel antea de summa rei deliberat.

Hoc Consilium est totius Reipublicæ vigor vitalis, & Corporis Politici, sicut Princeps est Caput, ita illud anima cùm suis potentiis, Memoriâ, intellectu & voluntate; ea planè ratione, ut Consiliariis rerum omnium, quæ ad Statuim pertinent, memoria, & intelligentia: Conferentiariis intelletas & deliberatio: Principi voluntas,

tas, Judicium, & executio jure attribui valeat.

Mutare Consiliarios intimos vix expedit Principi, propter arcana, quorum consciit sunt. Suspectos tamen audire, non sequi: convictos verò de mala fide palam, ad omnium exemplum, multare licebit.

Unius perfidia Consiliarii potis est integra conturbare Imperia, & exsoliare Solia.

Non semel accidit, ut unius Ministri actus, pluribus simul Principibus noceret, longasque secum calamitates traheret.

Tales deprehensos relegare idem est, ac buccina canere arcana sui status: extinguere potius, aut perpetuo carceri includere ejusmodi fatuos ignes, tutius erit.

Amoventur autem Ministri, vel quod minus capaces videantur à principio, vel quod abutantur cum tempore, vel quod tandem gerendarum rerum mole opprimantur, & oneri vi-

dear.

deantur impares, aut Regnantibus non
semper eadem consilia placeant, adeo
ut nuper gratissima, nunc repudiean-
tur cum nauseâ.

Haud rara sunt Principum incon-
stantiae exempla. Deteriora plerum-
que eligunt, cum instabilitate animi
laborant.

Præstat servare eum, qui integritate
suâ præscripsit; quam querere eos,
qui primò incipiunt usu capere Impe-
rantis animum.

Fidelitas jurata Principi, arcane-
rumque taciturnitas, antecellit omnes
alias dotes Ministri. Possunt quip-
pe alia omnia, præter hæc duo, sup-
pleri ab aliis Ministris, vel ipso Prin-
cipe.

Cæterum dotes Consiliariorum
sunt prudens & maturum (non Scho-
lasticum aut juvenile) Judicium, con-
junctum longæ experientiæ rerum tam
domesticarum quam externarum.

Item peritia & exacta cognitio Rei-
publicæ, sive status ipsius quoad arma,

C 5 opes,

opes, leges, fœdera, amicos, hostes, vi-
cinos & subditos.

Accedit Vigilantia in eventus o-
mnes, amor quidam sensibilis & partia-
lis erga Principem, & patriam: vera-
citas oris, & integritas animi, sinè simu-
latione, aut respectu alienæ aut privatæ
rei.

Recte suafit ille olim: in limine Se-
natū deponendam esse dissimulatio-
nem & simulationem, commodum
proprium, iram, vindictam &c. Re-
ctius suafisset, si unde verbo passionem
abjiciendam dixisset, quæ omnis recti
consilii noverca est.

Consilia pessima sunt, quæ privatus
affectus dictavit.

Nullum sincerum consilium expe-
ctandum ab illo, qui hoc fine interest
Consilio, ut sibi suisque prosit.

Malum indicium est, quando Mini-
stri, vix assumpti ad ministerium, con-
festim ditescunt, suosque augent in
immensum; quasi hæc ratio ministe-
rii esset.

Habet

Habet ad invidiam nostram Gallia, exemplum in Villa Regio, qui quinque Regum Minister, & trium plane intimus & familiaris: inde tamen nullis opibus (præter solum avitum patrimonium) sed meritis obiit illustrior.

Recti Consiliarii non assumunt curam aliarum Coronarum (multò minus pensiones) licet cùm protestatione non præjudicandi suo Principi. Quia protestationes ejusmodi sæpè contrariantur actui. Mercenarii illi sunt, non fideles Ministri.

Neque aucupentur adulatioñibus, suggestionibus, calumniis, conniven-tia (utinam non auxilio plane ad nefanda) sui Dominantis gratiam; sed recto consilio, sine Veritatis palliatione, promptitudine obsequii, & meritorum assiduâ comparatione.

Affectus privati Principum sæpè ineptos eligunt & pessimos, relictis optimis & emeritis.

Purpura magis ridicula in representat simiam.

Proborum merita sibi sufficiens præmium sunt, si sciantur negligi à Principe.

Princeps facile decipitur, qui ex illorum duntaxat consilio pendet, quibus jam longa possessio est in animum & affectus Principis.

Affectus particulares fascinant Principem, ut suis credat omnia, non prius discussa negotiorum veritate, quam tutò illi palliant, qui dominantur animo Principis: trahunt infelicem, non ducunt: cogunt, non dirigunt.

Principes neque cæcè, & improvidè alieno, neque suo contumaciter, stare debent consilio.

Caveat Princeps, ne ambitiosos, contumaces, immatuos, infensos, stupidos, garrulos, inexpertos, interressatos, indignos, ad Conclave arcanorum suorum admittat.

Tarde de ministro judicat, mereatur honorem, nec ne? cum jam adeptus est. Neque sufficit eligere minimum ex malis, sed optimum ex bonis.

Futura merita non expendas prius,
quam præterita: Honor non tam con-
sistit in gradu, in quem quispiam po-
nitur, quam in meritis, cum quibus
illum attingit.

Princeps, qui indignos ad Consula-
rem dignitatem, suamque familiarita-
tem extollit; idem planè agit, ac ille,
qui magnificis sublimibusque basibus
imponit statuas pigmæorum.

Tunc cognoscet illos impares mu-
neri, cùm suo luctu, & illorum turpitu-
dine, ubi ridebuntur ab aliis. Ut Lu-
довici XI. barbitonsor.

Ab utroque magnum periculum,
sed magis ab illo: quia Subditi contu-
maciam Principis non tantopere odê-
re, quantum dolosas Ministrorum
suggestiones execrantur. Ferunt Prin-
cipem qualemcunque, Consiliarios to-
lerant nequaquam.

Qui proprio, cùm potest, alieno &
bono consilio, nititur, facile fallitur.
Confer omnes errores, quos à condito
mundo commisere regnantes: minùs

errasse comperies alieno, quam suo consilio.

Excæcant privatæ cupiditates oculos nostros, ne videant sua præcipitia in proximo vestigio.

Bonum consilium non meretur ille Princeps, qui consiliariorum strin git fauces, aut eorum linguas instruit, aut nisi placita & grata, vix audit alia.

Consilia Principum sunt libera, opiniones liberæ, suffragia & veritas libera, sine dissimulatione, sine passione, sine respectu.

Immò in captando consilio obtegat se planè Princeps, ne Consultores penetrant animi sui sensa: alias vel tacebunt, vel ad salivam loquentur Dominantis.

Facilis deliberatio est, ubi sine pari supereminet unus. Unius istius respectus corrumpet omnia bona consilia.

In quibusdam rebustacere pusillanimitas est: in aliis quibusdam loquite-

temeritas: aliquæ non admittunt consilia, nec volunt, nec rogant.

Beati Principes, qui bonos na^ti sunt
Consiliarios: beatiores hi, si liberum est
illis, veritatem loqui.

Bona consilia subministrat etiam
Synteresis: sed optima invocatum
Numen divinum, in rebus præsertim
arduis, & quasi desperatis.

Consultissimum tibi habeas Prin-
ceps, cum Moise ingredi tabernacu-
lum, & ad trutinam Cœli examina-
re eventus.

Omne consilium datum desuper, o-
ptimum.

Cum Cœlum consilia versat, felices
plerumque eventus resultant.

Meliūs sustinentur Imperia mediis
consiliis, quam violentis & periculofis.
Nam vix feliciter cadunt, quæ
temerè suscipiuntur.

Acuta & subtilia consilia, quia diffi-
cile executioni dantur, magis suspici,
quam suscipi debent.

Con-

Consilia speciosa & apparentia, re ipsa inania sunt. Qui multum occupatur in accidentibus, raro attingit substantiam.

Consilia calida & audacia, prima specie laxa, tractatu dura, eventu tristia sunt.

Audaces fortuna juvat, in acquirendo, in conservando deserit. Imprudens consilium est, unde majus damnum, quam utilitas exspectatur.

Cunctabunda consilia ad tempus deliberationis magis, quam executionis pertinent.

Inter ancipitia & discrimina illa, unde resiliere non datur; extrema consilia meliores successus, quam media sortiuntur.

Tempus consultando consumere, est optimas occasionses rerum gerendarum otiosè negligere.

In consiliis dandis prævalet praxis Theoriæ. Consilia siquidem præcipue consistunt in recto solidoque JUDICIO, quo æque pollent viri exercitati;

tati, quām speculativi, ut innuit Stagy-
ræus.

Nemo dicat, tarda esse consilia,
quæ inter negligentiam & præcipiti-
um media sunt. Sclida (potius di-
xeris) & tuta, quia in nullum extre-
mum declinant.

Medio tutissimus ibis, ubi ad dexte-
ram impingere, vel ad sinistram errare
posses.

Ubi periculis non involvimus bona
consilia, ex mora validiora fiunt.

Nulla major consiliorum authoritas
est, quām ab experientiâ rerum.

Suspecta sunt consilia, licet esse bo-
na videantur, quæ ab authoribus ho-
stibus proveniunt.

Ne credas consiliis eorum, qui in
executione seipso periculis exi-
munt. Optima potius consilia cre-
de, in quibus consultores ipsi pericli-
tantur.

Si te Summum Ministrum fato na-
turæ perdidisse contingat; ejus cœ-
pta, aut relicta consilia ne declines:

nec

nec benevolentiam recusabis suis familiaribus.

Etiā manes defunctorum Heroū metuunt hostes; si eorum memoria in superstite Principe collapsa non sit.

Quantumvis in vitam redire nequeant; nunquam tamen toti moriuntur, quorum consiliis adhuc stat Respublīca.

Non æstimant semper pro dignitate suos Consiliarios Principes, nisi cùm jam illis privantur: sed malo suo tunc tardē sapere discunt, alienā Sapientiā destituti,

CA-



CAPUT SECUNDUM.

De quatuor Fulcris Politices.

OMnis Imperii, Regni & Principatus quatuor angularia fulcra sunt: Religio, Justitia, opes, & arma.

Prima & omnis Communio hominum à Religione cœpit. Neque ulla sub Cœlo gens tam fera extitit, tamque barbara, quæ Deitatem aliquam ut crederet, licet qualis esset, ignoraret.

Quod Christiana fides nondum valuit, docuit Naturæ instinctus. Accesit deinde à Majoribus traditio, tandem præscriptum divinum, ex quibus tribus omnis coalescit Religio.

Rerum publicarum ipsi primi fundatores nihil expeditius ad con-

ti-

tinendos homines in officio rebar-
tur, quam religionem Deorumque
metum.

Hinc illam olim Polybius inventum
mere Politicum asseruit. Quod fe-
liciter cessit Numæ Pompilio cum
Romanis, licet ille Atheus credeba-
tur.

Roma armis, & Religione occupa-
vit, & fundavit Imperium: hâc suos
continuit in ordine domi, & ejus spe-
cie ad ardua quaque animavit. Illis
frænavit gentes foris, & hac ratione in
immensum crevit.

Ita nimirum quod natura homini-
bus insevit Divinum, profanavit Politi-
ca in praetextum regnandi.

Non tanti est, quod Ethnici Princi-
pes, lumine ac cognitione veri DEI
destituti, Religionem in suum usum
converterint. Illud magis miseran-
dum! à Christianis quoque Sacra pro-
fanari, & Religionis specie patrari ne-
fanda.

Of

Offendebatur olim DEUS ob vio-
latam Religionem falsam, & acerbè
puniebat ejus profanatores: Regem
Nabuchodonosor, Dionysium, Alia-
tem, Cambysesem, & mille alios. Si
enim non ultus fuisset, evanuisset sen-
sim metus Deorum, ex hoc contem-
ptus Religionis, & ex contemptu
occupasset Atheismus universum mun-
dum.

Et hac tempestate nullam majo-
rem, latioremque Hæresim, in Chri-
stianitatem (etiam Catholicam) irre-
pisse, quam Atheismum, existimo.

DEUS omnis mundialis Potestatis
Supremus Princeps & Dominus est.
Religio erga hunc radix esse debet, unde
Politica suum fugit nutrimentum.
Confestim contabescer arbor illa pul-
cherrima Reipublicæ, si ejus radicem
neglexeris.

Nihil magis conjungit subditos
Principi, quam una amborum Reli-
gio: nihil fundat, firmatque stabilius
ejus potestatem; nec venerabiliorē
red-

reddit illum quidpiam aliud, quam si
Subditi credant, & videant Imperan-
tem Cœli amicum esse.

Hoc fine aucupabantur Religionis
famam Tyranni, simulabantque Zelum
illius, ut ejus specie cohonestarent in-
justè patrata.

Divisa Religio dividit Subditorum
animos: qui divisi ruinam Statūs infal-
libiliter portendunt.

Malæ quidem sunt omnes inter Ci-
ves factiones & collisiones; sed pessi-
mæ illæ, quæ originem trahunt à divi-
sione Religionis.

Truculentior nulla rabies est, nec ir-
reconciliabilitis odium, quam quod ex
Religionis Zelo procedit.

Contumaces nec ferrum terret,
nec ignis: neque parentum movet
commiseratio, nec bonorum jactu-
ra, nec Patriæ desolatio: neque jura-
ta Principi impedit fides: quin omnia
postponant prætextæ Religioni, quam
cum pertinacia in extremum tuer-
tur.

Luctuosa ubique etiamnum vestigia spectantur, ubi cum Veritate collabatur hæresis.

Tamdiu Gallia lugubre erat bellorum civilium theatrum, quamdiu ibi a Regibus tolerabatur hæresis: Hac extirpata, quam illa florens, quam potens sit: clade sua expertum Imperium est.

Nulla divisio periculosior est Republicæ, quam quæ hanc dividit a DEO. Varietatem Religionis sequitur mutatio Statūs, velut umbra corpus.

Hæreses sua incrementa & decrementa eâ ratione habent, ut plus vel minus illis connivent vel favent Principes.

Hæresium inventores, sunt communiter viri Epicurei, vel qui nolunt sapere ad sobrietatem. Sectatores: gens & populus novorum semper amans. Defensores: ipsi plerumque sunt Principes, magis ex suo commodo, quam Zelo.

Nunquam illi assistunt novis in Religione opinionibus, nisi intercedat ratio status.

Sola ḡēns Popularis & simplex agitur puro Zelo Religionis illius, quam cum natalibus suscepit, vel inter seditiones hausit.

Ministri verò Heretum non alia de causâ, quam vel ex pertinaciâ, vel ambitione novæ doctrinæ; vel ex odio cælibatûs, & strictioris disciplinæ; vel ex metu amittendæ præbendæ & authoritatis apud suos.

Nobilitas & Magnates nihil minus curant, quam Religionem, sed per ilius dissidia in libertatem se asserere, suaque commoda quærere connituntur: ut in Bohemicâ, Belgicâ, aliisque revolutionibus vidimus.

Principes ipsi supremi Regesque (præter unum alterumque Septemtrionalem) non alio fine ejusmodi font, tacenturque novitates; quam ut vel securius imperent, vel quod inhinent bonis olim Ecclesiasticis, vel quod

quod ea sperent, aut plānē usurpent; vel quia disgustati à sede Apostolicā durum illis videatur subesse disciplinæ Ecclesiasticæ.

Hæc deme, emenda, concede, confessim coalescent omnia & erit unum ovile, & Pastor unus.

Adeò nimirum fragili, & materiali tantum, fundamento innititur Hæresis: ubi vera Religio Spiritualibus fulciri debet Principiis, & omnia temporalia postponere æternæ Saluti.

Ex munere (sunt enim propugnatores & defensores Ecclesiæ) incumbit regnantibus, non solum suis Subditis prædicatione Apostolicā persuadere Veram Religionem; sed eos quoque veluti Christo tœdifragos, rursus compellere, quaquā vi possunt, & arte ad gremium Ecclesiæ, unde exierunt.

Incentores, hæresiarchæ, & recidivos plānē suppliciis: manifestos & contumaces Relegatione: materiales,

occultos & quietos aut persuasione, aut dissimulatione.

Ab Atheniensibus disce: hi statutis pœnis externas Deitates abigebant, ne ex illis novæ in Religione opiniones exsugerent.

Ideo in supplicium tractus Socrates vir optimorum morum, solum, quod meditaretur, non introduxisset novos DEOS.

Ab iisdem morti adjudicatus fuit Anaxagoras, & cum ipso Demagoras; & etiam Evagoras: illi quod in Deorum numerum reposuissent Alexandrum Magnum: iste quod eundem adorasset.

Et hoc quidem non tam Religionis studio, quam ex ipsa ratione Status: Omnis quippe novitas in Republica suspecta est, quia plerumque dividit animos Civium, & ex divisione confundat Rempublicam.

Zeloso Gloriæ divinæ Principi nurquam deerunt media in Statu suo promovendæ Religionis, & sopiendæ
ha-

haeresis, nisi quietem Reipublicæ, æternamque Salutem minus aestimet, quam aliqua commoda privata.

Arius olim in oriente, Lutherus postea in Germania, Calvinus in Gallia modicæ primum favillæ extitere: Sed dissimulatæ à Regibus & Imperatoribus; mundum ferme totum incendio doctrinæ occuparunt; ut se non tandem noverit, an Arianus, an Lutheranus, an Calvinianus, vel Christianus esset?

Eorum culpâ hoc accidit, quorum intererat impedire & sospire gliscens malum: & male dissimularunt, vel planè noluerunt.

Interim mi Princeps, si Zelus dominus DEI comedit te; age: Zelum definiat Scientiæ & Charitatis limes: alioquin irrationali furori propriet erit, quam Virtuti.

Major injuria in DEUM vix concipi potest, quam Concedere palam libertatem Religionis.

Hoc aliud non est, quam libertatem

tem concedere peccandi, DEUM blasphemandi, Sacra omnia conculcandi, & perdendi tot animas.

Hæresis enim est crimen læsa Majestatis Divinæ, dignius ultiōne publicâ, quam quæcunque alia injuria.

Expende hæc, mi Princeps: nec præcox sis in concedendo, ubi tanta Numinis contumelia intervenit.

Attamen inter duo malà inevitabilia, si Religionis libertatem tolerare minus est: æquum erit terre, quamcunque, nequæ vera est, planè intereat.

Interdixit ipse Christus discipulis suis evulsionem loliorum, licet campum occupassent: quia ita immixta fuere frumento, ut evelli neutrum possit solum.

Zelus DEI inutilis est, nisi scientia DEI regatur. Ubi totius periculum est, non censetur pars negligi, cum totum conservatur.

Omnis Hæresis ex natura sua auctoritatem impugnat Dominici Vicarii in terris, ejusque Sedis Apostolicæ: hâc enim subsistente nihil probat illa; & credentes in hanc, non audiunt illam.

Potestas Pontificia est universalis non solum in Ecclesiam sibi concorditam, sed etiam in universum Mundum, quoad fidem, & quæ spectant ad Vitam æternam.

Non tamen in temporalia, quæ Regum & Principum sunt, nisi quatenus ordinantur ad Salutem animarum. Quia Pontifici sicuti datæ sunt Claves Regni Cœlorum, ita Principibus potestas in temporalia & terrena, dicens Domino: Ego constitui te in Regem, &c.

Posuit tamen etiam super humeros Papæ Principatum, id est, Patrimonium S. Petri, quod amplissimum in Italia Statum componit. Hujus ille absolutus est Princeps Ecclesiasticus, & temporalis.

Neque existiment Principes, minime competere Sacerdotio Dominium? Nam ut de Numa Pompilio, qui Rex & Pontifex Romæ fuit, sileam: nonne in lege Naturæ Melchisedech Rex & Pontifex nominatur in Genesi? Nonne Divina ordinatione sedis Moy-ses, ut judicaret Populum, ipse pri-mus Dux & Sacerdos in Israël? Nonne jam ab anno Christi 699. ex donatione Ariperti, & Pipini, ab anno 755. fuere Pontifices Romani, Domini tempo-rales?

Ex Cathedra Apostolica, in materia fidei, quidquid decernit Papa, Divini Juris est: & aliquomodo Verbum DEI à Theologis dicitur.

Ille à nemine judicari, neque depo-ni valet, nisi ut lapsus in Hæresim: talis tunc ab Ecclesia declarari valebit: Sed hoc ipso desinit esse Pontifex.

Cuncta judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fi-de devius: Tunc Cœlum ejus judica-bit

bit reatum vel innocentiam, ait quidam ex Patribus.

Idem confirmat Concilia oecumenica, quae sic confirmata nunquam errorum discrimini subjiciuntur: Secus autem omnia subjici possunt, & jam errarunt saepius.

Denique solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia potestatem habentem, Conciliorum, indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, non tantum ex S. Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum; sed propria etiam Conciliorum confessione, manifestè constat.

Ad Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte appellare solitum: ab illâ autem nemo appellare præsumat, quia illa habet Claves Cœli & terræ.

Immò nequit Summus Pontifex committere, neque Concilio, neque ulli homini supra se potestatem, sive ju-

dicium coactivum; sed tantum arbitrium, ut ille vel privatus doctor, vel privatus homo est.

In rebus tamen extra fidem, quæve facti sunt, errare Papam posse, pàlam est.

Arbitrarium impropriè dicitur Judicium: Cujus sententiæ, si recta fuerit, nisi obtemperaverit Papa, faciet quod non debet, non autem, quod non potest.

Ad ejus Solium spectat creatio Episcoporum, Collatio beneficiorum, rerumque omnium, quæ Spiritualitatem sapiunt, per totum mundum, juxta morem tamen antiquitus transactum, & in hæc usque tempora observatum.

Habent quippe Regna aliquas speciales immunitates, ut Christianissimum Galliæ, Apostolicum Hungariæ, & Catholicum utriusque Siciliæ, &c.

In omnibus, quæ Juris sunt possitivi, judicatur, interpretatur, dispensatur,
abro-

abrogat & revocat : Non tamen ea,
quæ absolute sunt Juris divini.

Atq; hoc totum ex potestate Clavium,
quas à Christo accepit Petrus, e t post
Petrum de manu in manus Successori-
bus in Cathedrâ , continuâ ducento-
rum & triginta duorum Pontificum
serie extraditæ sunt, eâdem plane cō-
ditione, naturâ & potestate, quâ Pe-
trus investitus fuit.

Omnis authoritas, quæ conceditur
Ecclesiæ, cedit in maiorem gloriam
Regum & Principum, non solum, quod
illa horum mater sit, eosque per Sa-
crum Baptisma genuerit ; sed etiam
quod illustriores & probiores Impe-
ratores, Reges & Princes, semper & u-
bique, illius autoritatem manutene-
re conati, concessis insuper in Patrimo-
nium illius amplissimis ditionibus.

Pontifex, licet non infidelibus Sar-
cenis & Ethnicis Principibus præsit,
quia isti intra ovile nunquam fuerunt :
præest tamen omnibus in Christiani-
tate Regnantibus & Dominantibus,

quia ille Pastor, isti Oves sunt; quas ex munere suo regere debet, jubente Domino: Petre, amas me? pasce oves meas.

Adeò, ut si causa Christi & Ecclesiæ id exigat, possit eos Regnis & Imperiis exuere: ut multis factum est: an perperam? judex Cœlum est.

Frustra hic erigunt cristas terrenæ Potentiæ, contra hanc cœlestem, adversus quam nec portæ inferi (taceo mortalium vires) prævalere possunt. Nunc Capitolii saxum immobile est.

Jacebunt illæ conquassatae, si temere recalcitrabunt, hac integrâ. Hujus terminus est consummatio mundi; ubi Regna alia omni ævo tolli, subverti, & concuti vidimus.

Interim Ecclesiæ mansuetudo non patitur, ut ad e jusmodi extremitates, & Regum, per quos crevit, degradations, privationes, atque censuras temere procedat.

Censuræ namque Pontificum, sive justæ sive injustæ, licet Imperantibus me-

metuendæ sint; videant tamen illi, ne seipso ligandi ac solvendi potestate privent, si hanc pro lubitu suo, & non pro subiectorum moribus exercitent.

Christus statuit, ut omnes omnino mortales suis Ministris Spiritualibus subjicerentur, iidemque Regibus parent; non tamen utramque Potestatem Spiritualem & temporalem sibi subjicit invicem, utriusque admensâ æquali authoritate, ad functiones suas proprias & immediatas obeundas; neutri alterius interitu permisso. Hæc exæquatio Potestatum harmoniam inducit in Christianum mundum, DEO hominibusque gratum.

Regulam hanc habeant Regnantes Christiani, ut Pontifices etiam malos non contemnant, propter bonos. Malitia adharet personæ; Authoritas Characteri: eademque planè in malis, quæ in bonis est.

Subditi boni ferre debent malos Principes, non tollere: ita boni Principes ferre satagant dyscolos Pontifices,

non judicare, non condemnare, neq;
invadere.

Papa quia universalis est Pater o-
mnium Christianorum Principum,
non ille magis uni horum, quam alteri
adhæreat , nisi apud omnes fidem
perdere malit.

Arbitratur ille inter dissidia & col-
luctationes Principum ; pacemque,
ut in Ecclesia sit stabilis, ex Christi
exemplo, qui eam dedit mundo ve-
niens, & reliquit abiens, summo studio
procurat.

Ubi duo caveat: ne affectus & com-
moda sua suorumque sequatur: sed,
uti Sol elementorum contrarias qua-
litates ad justum temperamentum re-
ducit; ita ille inter astra mundi Sol
unicus, moderetur, & temperet: non
tamen, quocunque respectu aut par-
tialitate , dissidentium Regum ani-
mos magis exasperet, aut commo-
veat.

Secundò, ut Arbitrum agat, non Ju-
dicem: quia si Conscientias modera-
tur,

tur, ut judex, non exinde judicare debet Regnum, Regumque dissidia; sed cum illis comiter agere, ut Patrem universalem decet: providendo, conciliando, persuadendo.

Nemini esto dubium, potestatem Spiritualem præeminere temporali; attamen non titulo Dominationis, sed dignitatis: non secundum ordinem subjectionis, sed directionis.

Duo sunt luminaria in Mundo, ut in Cœlo Sol & Luna: ita in terris potestas Sacra & profana. Quæque suas singulare functiones habet: nec una alteram impedire, sed sibi invicem opitulari debent.

Nonne contra naturam foret, si Sol nocti, & Luna præcesset diei? Quid aliud cendum, si Principes ad Spiritualia Sacraenta conficienda se conferrent; & Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilaret?

Non absolutum est Pontificis in temporalia dominium, sed restrictum

ad suas regiones; diffusum tamen secundum quid in ditiones sæcularium Principum, in ordine ad finem supernaturalem, qui est Vita æterna.

Neque Principi liberum in Sacra ius est; absit: sed inspectio quædam, idque tuendi magis, quam cognoscendi causâ.

Erubescant usurpatores reciprocè: neque enim vobis, ô mei Regnantes, permisum est edere panem propositionis, quia sacer est: neque, ô Patres beatissimi, vos terrena plus æquo decent, profanaque Jura, quibus Mundus crucifixus est.

Major olim Imperatorum & Regum authoritas in res & negotia Ecclesiastica impendebat, quam Pontificum in Regna & Principatus politicos.

Sed vix inhærendum est rudioribus sæculis, cum utrinque multa perperam facta sunt ambitione, & usurpatione immodecæ potestatis, æque in Sacris, & Politicis Principibus.

Cujus

Cujus tām facilis abusus est, ut ipsi Veteres agnoverint, Summum Jus, summam esse injuriam; & Summum Imperium exæquare Tyrannidem.

Cūm horrore lego Arnulphi, Caroli Crassi, Ludovici Bavari, Adolphi, Philippi, Henricorum, præcipue vero & Fridericorum dissidia, & fastidia, quæ tunc intercessere inter Sacerdotium & Imperium.

Regulam omni controversiæ solvendæ, dedit ipse in Carne DEUS: date DEO quæ DEI sunt, & quæ sunt Cæsar, Cæsari.

Et hæc Laconicè de Religione: jam ad Justitiam, alterum Imperii fulcrum, transeo.

Justitia & Judicium duo cardines sunt, in quibus vertitur orbis iste Politicus.

Judicium discernit bonum à malo, æquum ab iniquo, justum ab injusto.

Justitia suum cuique tribuit, ad numerum arithmeticum; & ex æquo distribuit

stribuit pœnas & præmia, ad proportionem Geometricam.

Hinc illa duplex esse censetur: Commutativa nimirum, & distributiva: utraque æterna reddit imperia, & immortales Principes.

In omnem terram exit ipsius sonus, nec facile transit cum aurâ, si fama & gloria Principis ex commendatione Justitiæ resonat.

Cætera disparent omnia præter hanc; & hæc comprehendit omnia, quæ in uno Principe laudabilia, & bona dici possunt.

Comprehendit Prudentiam, in delectu justi præ injusto:

Temperantiam ex observatione legis, quæ pars est Justitiæ:

Fortitudinem & Generositatem, quia Justus non curat respectum personarum.

Misericordiam & clementiam, dum succurrit afflictis: Liberalitatem; cum merita expendit omnium.

Tran-

Tranquillitatem animi, quia Vir justus semper idem est, sibique similis.

Ideò magnos appello, quos justos. Si te, mi Princeps, utjolim Archidamum, compellabunt Magnum: Responde cùm hoc: Major sum, si justior.

Jovis statua apud Trojanos auriculam unicam habuit, sed tres oculos. Jovis simulacra sunt Regnantes, quia ut Justi nomen mereantur, plura discere, & penetrare debent, quàm audire & credere.

Ubi Sensus dominatur Rationi, ibi nulla Justitia est. Utilitatis ratio pervertit Justitiam: illius ratio sine ratione est.

Justitia Regnantium non ita simplex esse debet, ut quandoque calliditati non valeat misceri: dicente Domino: Estote simplices, sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes: ubi prudenter Politicam intelligi tradunt Patres.

Mixta cùm calliditate Justitia, tria
re-

requirit: ut in defensionem propriam,
non officionem proximi sit.

Ut evidens cogat necessitas & ratio
Reipublicæ: ut denique ad mensuram
sit, neque exsuperet naturalem æqui-
tatem.

Ubi ratio subjicitur præpotentia,
atque id censetur honestius, quod va-
lidius; ibi Justitia convertitur in in-
juriam.

Non ille plus habet rationis, qui
plus habet fortitudinis; sed ille plus
habet fortitudinis, qui plus habet ra-
tionis. Potest premi Ratio, non op-
primi: pressa quandoque glorioius
resultat, ut Palma.

Non æstimet Imperans Justitiam ex
magnitudine suarum virium; sed has
expendat ad normam illius.

Non ideo prætendat subjectionem
aliorum Principum, quia suæ potentiae
resistere non valent. Leonina foret
hæc justitia, non humana.

Vis rumpit justitiam, Sensus illam
corrumpit. Omnia violenta stateram
illi-

illius inclinant in transversum. Quæ autem arrident genio, planè excæcant omne judicium, ut cùm Paride non videat emolumenta Principatus in Junone; nec artem regnandi in Pallade; sed solam turpitudinem anhelet in Venere.

Plerique adorant Justitiam, non propter bilancem Justi & æqui; sed propter ensim, quem illa gestat in vindictam.

At recta Justitia ensim gestat propter bilancem, quo ejus æquitatem tueatur, illumque stringat in eos, qui in staterâ appensi, minùs habentes periuntur.

Non diu apud Romanos viguit Lex Cinica, quæ Causæ dicendæ negabat mercedem: Sic enim peribat sine Patrono innocentia. Sic prostratæ jacebant Causæ optimæ, quia à nullo defensæ. Ideò è terris emigravit Astræa, quia ejus patrocinium nemo assumebat.

Injustus non minùs Princeps est, qui

qui non tuetur Justitiam, sive publicam, sive privatam: quam qui ferrum semper gestat, & nunquam fateram.

Injustus est, qui non expendit rerum causas, sed primas quasque occasiones arripit usurpandi aliena.

Exarmata Justitia se tuetur innocentia suâ; nec succumbet, nisi turpiter cedere velit armatae potentiae. Tempus quippe ipsum, quod in momento saepe multa dissolvit, vel mutat; in justi praesidium inopinatas advehit vires.

Bonæ causæ Spes alas addit, ut ad victrices aquilas per medios hostium cuneos evolet.

Justi nomen obtinebit, si legum ut author est Princeps, ita fuerit observator: & quod in alios statuerit, ipse primo sibi statutum exemplo ostenderit.

Nequaquam lædet solii Majestatem, si supplices excipiat, pauperes, affictos, orphanos, etiam importunos.

Si

Si summum Imperium infra æquitatem habeat, si ipse oppressos audiat, si judicium ferat, si præpotentes cohibeat ac coerceat.

Olim Reges hoc fine creati, nimirum dicere Jus populis, & turpiatolere facta.

Majus encomium nequit obtinere Justitia, quam si parata omnibus, si brevis, si magis æqua, quam acuta, si venalis non est.

Pars Justitiæ Commutativæ Leges sunt: Princeps ipse Lex animata, quam sequi oportet: Caput & author Legis, cui obtemperandum: Regula & Cynosura agendorum, quæ universos dirigit.

Non satis est, marmori inscribere legem, si hujus vis & affectus flaccidior est cucurbita.

Non tam cumulandæ, quam exercendæ sunt leges: quia ubi multæ leges; ibi corrupta est Respublica.

Regnantes sunt supra leges, non ea quidem ratione, ut illas non observent:

vent: sed ut eas tollant, mutent, derogent, ut salus fert publica, & consuetudo loci.

Transgressio illarum est mala, sed reformatio s^epe necessaria: quia c^{um} tempore mutantur morbi Reipublicae & iis quoque nova remedia expediunt.

Non idem morbus omnes Respublicas occupat; nec una semper lex mediri valet. omnia illius vitia.

Legum ut Author, ita ultor Princeps est: Inutiliter perсадet, qui cogere nequit, aut non vult.

Minus malum est perdere hominem, quam legem destruere: Unus ille, & privatus est: Lex universalis & publica.

Indivisa a Principe legis authoritas est: hujus temeraria prævaricatio, illius contemptum infert;

Vix tamen aliunde major accedit legi authoritas, quam c^{um} legis lator, quod præcepit, ipse fecerit.

Laudat Roma Romulum, quod primus

mus leges condiderit: sed magis ja-
stat Græcia Lycurgum, quod quæ le-
gibus sancxerit, facto ipse probaverit.

Nemo persuadet aliquid facile, cui
ipse contrariatur opere.

Exemplum Principis fortissimum
est imperium legis. qui prævaricatur
ipse, prævaricantes cum suo pudore
mulctat.

Regibus non sunt quidem præscri-
ptæ leges; at præscripta est ratio & ho-
nestas, ex quibus Lex omnis constat.

Lex si non est proportionata ad Vir-
tutem, lex non est: at satis propor-
tionatur Virtuti, si Civium corrigat
excessus, & vitia.

Antea nosse oportet Regni & Status
sui naturam & genium, necessitatem
& commoda, ut condignas & appro-
priatas illi leges ferre valeat Princeps.

Aliæ leges in Regnis opulentis, aliæ
in egenis: alias exigunt Leges gentes
feroces, alias volunt populi mitiores:
aliæ in acquisitis, aliæ in successivis;
aliæ

aliæ in electivis, aliæ in novis Regnis proficiunt.

Gentes barbaræ allici debent: nova & acquisita Regna novitates non tollerant: In electivis plerumque electus potius legem accipit, quam dat: in avitis & successivis liberius feruntur, & obsequiosius suscipiuntur leges.

Attendendum quoque ad formam & speciem Regininis: aliæ quippe feruntur leges in Statu Poliarchico, aliæ in Monarchico.

Acerba statuta, & novitates odiosas (licet re ipsa optimas) non facile sanctiat Princeps, nisi sit armatus, & vix apud populum libertati assuetum.

Inquisitio S. officii (res insolita Alemannæ libertati) concussit nobilissimam partem Germaniæ, Belgicas ferme omnes provincias: ita ut se exinde in libertatem asseruerint, non solum excusso Dominio Hispanico, sed etiam abjurata fide Catholicâ: ubi alias

alias cultissima hæc gens nunquam eo se præcipitasset.

Leges impossibiles, verbum inane sunt, quia impossibilium nulla est obligatio.

Omnis autem lex duplex est, Naturalis, & Scripta: illa dictamen dicitur rationis, quibusdam etiam Conscientia: Scripta vero vel divina, vel Civilis est; utraque in tabulas redacta.

Divina rursus duplex: Moralis, quæ concernit mores hominum, ut est Decalogus: Ceremonialis, quæ circa ritus sacros versatur.

Civilis vel est mutabilis, vel stabilis. Stabilis cum ipso Regno crevit; atque est fundamentum Statûs immutabile, adeo ut hac pereunte, ad minus intereat forma Regiminis. Sic dicitur lex Salica in Franciâ, & Castellana in Hispaniâ.

Mutabilis, est omne rescriptum, aut statutum Principis, vel Reipublicæ; quod fertur in salutem particularem vel universalem Communitatis; & ad

exigentiam temporis & necessitatis publicæ, sanciri, mutari, tolli, ampliari potest.

Leges Civiles normam dant agendi in Republica: hinc erēta tribunalia, ubi Jus dicitur, & constituti Jūdices, ut cognoscant, ferantque jūdiciū, quid ex lege vel contra legem agant Subditū.

Leges quippe absque Magistratu, vel Judice, sunt velut aér transiens, vel Campana sine sono, vel ut aliud dixit: Lex sine executione, est campana sine pistillo.

Maximi meriti est, justam pronuntiare Sententiam. Non enim hominis (ut dicebat Rex Josaphat) sed DEI exercent jūdiciū.

Absunt à munere Judicis illi, de quibus Sapiens dixit: Mendaces filii hominum in stateris.

Mentiuntur Justitiam, qui eam præstare nolunt, vel erubescunt: mentiuntur; quia eam, cui debetur, non tribuunt.

Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera accipiunt; ait Job. Ad auri splendorem caligant oculi, ne videant Solem. *Justitiae.*

Cognoscere personam in Judicio non est bonum, ait rursus Sapiens, in 65. proverbio.

Maledictum. Judicium, ubi ambæ reservantur aures uni, & clauduntur alteri.

Ut Sol non aliis inopi aut locupleti, sed omnibus æquus & communis: ita Judices, haud spectare personam debent, sed rem; non conditionem, sed causam.

In causa *Justitiae*, si intercedat respectus amicitiae, non dicenda est amicitia, sed conjuratio.

Festinata. Judicia impetuosos & incurios indicant Judices; precrastinata corruptos.

Boni Judices potius interdum per amicos tentant pacem, quam litigia multiplicant.

In iis, quæ perperam agunt mali

Judices; non irascendum Justitiae,
quæ semper una est; sed ejus corru-
ptoribus, qui eam turpiter prosti-
tuunt.

Sequantur Jovem Regem Athenar-
um nostri Judices: & in monte O-
lympos (ubi aër defecatisimus, nulli
turbini, aut auræ inconstantiae subjectus
habetur) sua constituant tribunalia: ut
oppressi & innocentes cum fiducia
eos adeant, securi de justitia, in tam sa-
cro loco, nullius vindictæ, nec privatae
utilitatis, nec respectus personarum
obnoxio.

Ignorantia Judicium prostituit Justi-
tiam, respectus humanus corrumpit
illam, avaritia adulterat; vindicta pla-
nè calcat.

Judices cautos, sagaces, patientes,
impavidos, modestos, pacatos, vera-
ces esse oportet, in primis autem Justi-
tia sit cingulum lumborum eorum, ut
Isaias olim optavit.

Dignissima illa Principum actio; in-
tervenire aliquando per otium Magi-
strorum

stratibus, & dicasteriis Judicum; ibique audire partes, & examinare defuper Judicium sententias.

Nullus quippe Magistratus à reddenda sui muneric ratione immunis est.

Regis officium est, pauperum audire querelas, iisque Jus dicere.

Cum autem hoc non vacet semper agere Principi; saltem in demandando hoc suo munere, non personas respiciat, non sibi charos & intimos deligit; sed ipsius muneric, ac eorum, quos ad illud aptavit, naturæ & industriae, rationem habeat.

Non unus Judex duntaxat sit, qui statim de quovis negotio ultimam ferat sententiam: sed plures sint appellationum gradus.

Ad Judicis manus utilius cooptantur divites, quam inopes: puriores enim illi futuri à corruptelis, quam isti.

Usu tamen compertum, quandoque, quo ditiores, tanto avidiores

esse, & tam in inope frenari posse cupiditatem habendi, Virtutis amore; quam in opulento taxari, illius tædio.

Denique nec multiplicitas Judicium, nec Causidicorum numerus, nec innumerabilium legum Chaos, nec litigantium incessabilis pruritus, firmant Justitiam, vel Salutem procurant publicam, quin potius non minus, quam multitudine Medicorum & nosocomiorum, male valentem & planè infirmam indigent Rempublicam.

Bonus Princeps per se potius, quam per alios, vel duntaxat paucos & dignos expendit, & dijudicat Subditorum suorum dissidia.

Componit ea magis æquitate, quam exasperat per apices Juris: persuringit illos causarum non advocatos, aut (ut Jura vocant) Sacerdotes Justitiae: sed Mammonistas peccatos, & carnifices illius.

Usu quippe compertum est, a quibusdam plus annuatim contribui in litium

litium causidicos, quām in sacra & profana tributa.

Tu proinde, mi Princeps, minuelites, per pœnas irremissibiles temerē litigantium.

Tolle procrastinationes earum, per Syndicatum Judicum & Magistratum: puni puni dolosas captiunculas, & cavillationes causidicorum: relega in malam horam omnes illos maleficiatos suggestores & authores.

Sic brevitate firinabis Justitiam, & integritate conservabis Rempublicam.

Jam à legibus & Judiciis, ad præmia & pœnas, quæ etiam pars sunt Justitiae, commigro.

Ars modica non est, nosse rectè præmia distribuere. Modica præmia, si replicata, magis & diutiùs obligant, quām illud, quod uno tractu dantis exhaerit liberalitatem.

Non donat, qui non bene donat. Illicitum est fœnus, quod ex remuneratiōne sibi comparat Princeps.

Multo plūs donavit Caligula, quām

Julius Cæsar: tamen à liberalitate famo-
sior iste, quam ille.

Modica interdum præmia, magis
contestantur debitum, quam magna;
quia ista non tam videntur præmia
quam exsolutio debiti.

Magnum inter munera & præmia
discrimen est: licet utraque ex uno
liberalitatis Regiæ fonte scaturiant.

Munera hami sunt; quibus capi-
mus, immò rapimus alienos animos:
Præmia soli virtuti debentur.

Donum minuit & corrumptit virtu-
tem, præmium illam conservat & au-
get. Munera sine merito dantur,
& reddunt homines otiosos: Præ-
mia Heroicos actus coronant, &
excitant bonos Cives ad egregia
quæque pro Republicâ exantlanda.

Munera accipere idem est, ac polli-
ceri illud, propter quod illa dantur.
Samsonis Mater confidenter dixit: Si
DEUS voluisset nos occidere, de ma-
nibus nostris holocaustum & libamen-
ta non accepisset.

Munera, quæ nondum meruit, si quispiam accipiat, venum exponit libertatem suam donatori. Ideò monuit in Exodo Dominus: Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba Justorum.

Præcipue verò merces, ab eō, qui jubere potest; vim necessitatis habet. Compedes invenit, qui beneficium ab imperante accepit.

Principes remunerationibus improborum, vel sua cooperiunt vitia, vel perficiunt eorum ope.

Nero, ut primos Urbis Nobiles invitiorum suorum sequelam pertraheret; triennio unico quingenta talenta auri in eos profudit.

Cùm verò exhausisset sua; ad latrocinia conversus nocturna, supplebat defectum rapinis.

Unus Ludovicus XI. Francie Rex, plus auri insumpsit in corruptelam externorum Ministrorum, Caroli Burundi, Joannis Britanni, Eduardi

Angliae, & Renati Siciliæ Regum, quam in omnia bella, quæ totâ vitâ gessit.

Auro pacem semper habuit, collidentibus se invicem aliis. Auro excœavit omnium Principum oculos, & alienos Status suæ Coronæ addixit.

Auro corrupit totius Europæ fidem, & ab externis Aulis Primos Viros suo Ministerio mancipavit.

Facere amicos sibi de Mammonâ iniquitatis, ars quidem subtilis est, sed semper non laudanda.

Plus desperdit Princeps, quam lucratur; dum, quod multis abstulit; in unum vel aliquos confert. Multorum odium exsuperat uniusvel alterius amorem.

Et illi ipsi, qui cum aliorum inopia, & ruinâ sublimati sunt; cadunt plerumque victimæ odii publici.

Profusiones magnæ Principum causant intolerabiles extorsiones Subdi-

torum, ut sæpenumero experta est Gallia.

Largitiones nimias sequuntur rapina.

Eadem quippe ratione (scilicet per scelera) implentur æraria Principum, quâ exhauriuntur.

At non omne munus, nec omne præmium consistit in auro & argento; sed in titulis etiam, & Magistratibus publicis, qui propriè debentur meritis.

Græci & Romani, ut mercedem distinguerent à præmio: non distribuebant coronas aureas & argenteas, sed gramineas & quercinas.

Internum gloriæ quærebant tunc Emeriti; & in virtutis sibi complacabant magis æstimatione, quam in fulgore auri & argenti.

Negatus Catoni Consulatus, quem præmii loco integritas merebatur viri; & concessus Gabinio, ob hujus mitiores, illi severiores mores, sensim implevit Urbem luxu, & mille vitiis.

Graviori morbo nunquam laboravit Athenarum Respublica; quam ubi præstantissimis viris Aristidi & Pericli indixit exilium: Niciæ infixit supplicium, & Socrati cicutam misericorditer; suspectis in imperio Cleone & Thrasillo, multo minus de Republicâ promeritis hominibus.

Miseranda etiam nostra ætate tempora, in quibus favori omnia, nihil Virtuti defterri videmus.

Olim nulla supra Nobilitatem rarior claritudo fuit: nunc verò nascuntur Nobiles inter noctem & diem, ut fungi.

Primi Nobilitatis characteres, Baronum Comitumque, non dantur amplius Viris strenuis, sed nummosis.

Gloriæ meritum non jam Virtus est, sed nummus: O turpitudo!

Mirum reverà est: quod nondum ullus extiterit Princeps, qui in solam virtutem Nobilitatis decus contulisset. Semper enim vel genesim, vel

ma-

matrimonia, vel opes, vel simile ali-
quid externum requiri videmus.

Verus honor neminem fugit, quem
Virtus comitatur : Vera Virtus ne-
minem respuit, qui se illâ dignum fa-
cit.

Quemadmodum autem Virtus me-
retur præmium, ita à præmio nemo
excludi debet, cui Virtus patroci-
natur.

Quanti quanti suspirant, qui meren-
tur; nec tamen respiciuntur: quorum
modestia jam diù expectat præmium,
sed ipsâ diuturnitate forte oblita-
tum.

Olim Romanus Senatus ante por-
tas Urbis excipiebat ex bello reduces
Ovantes vel triumphantes; ne vide-
licet mora ulla præteriret inter meri-
tum & præmium.

Semper laboriosius meremur, quâm
obtinemus præmium. Cùm illud au-
tem in ætate jam fracta consequimur,
majus martyrium est, illo non posse
diu frui, quam planè non frui.

Meruerat Regiam virginem Micholem David ex pacto, cum occidisset Goliathum: Victoriæ attamen præmium non tulit, nisi centum præputia occisorum Philistæorum rursus Sauli obtulisset.

Aliis Sola gratia, & à Principe encomium, gratius existit, quam Mydæ omnes divitiæ, vel Paetoli thesauri.

Multis satis est, merita sua intelligi à suo Regnante.

Rudiora Virtutis elementa sunt præmia & honorum Spes: quia hæc, cœca illa DEA etiam confert; sed magno planè discrimine.

Fortuna etenim quod tribuit, quantocuyus flaccescit: Virtus quod meruit, immarcessibile est.

Qui citò dat, bis dat: tarda præmia extenuant meritorum pretia. Qui longè differt mercedem; oblivisci termè operæ exhibitæ creditur.

Mardochæus revelaverat Eunuchorum in caput Assueri conjurationem: isti pœnam mox tulerunt, præmium

mium ille tardissime. Ad eò Principes vindictæ nunquam, beneficiorum mox obliviscuntur.

Virtus aliquando sibi ipsa præmium esto. Gloriosa sui memoria posteritati relicta, exæquat omnem temporalem mercedem. Æternitatilaborant, qui Virtuti.

Veteri tamen & nostro ævo, Virtus non ita dulcis est, ut nisi melle illita (id est Spe præmii & mercedis) exsatiare valeat Virorum eximiorum vota. Simonides etiam ab Iarcho, Seneca etiam à suo Principe regias opes habuere.

A præmiis ad pœnas: ad partem nimirum Justitiæ vindicativæ , descendō.

Hæ magis, quām illa necessaria sunt in Republicā: Virtus enim sibi ipsa merces est, vitia autem coerceri debent.

Cūm ipso Mundo cœpit Lex pœnalis: ubi sub pœna mortis vetabatur fructus de ligno Vitæ.

Apud

Apud omnes gentes extabant poenæ, non ita leges: quæ multis sæculis posteà, primum Græcis, deinde Romanis cognitæ.

Sublatis poenis, quid aliud esset Mundus, quam vitiorum omnium chaos, & improbitatis diffusæ latum regimen.

Primi Rerum publicarum fundatores nunquam tot statuerunt meritis præmia, quot malefactis supplicia.

Leges poenales demunt vitiis pabulum; alias hæc in rogum exardescerent inextinguibilem.

Major ad peccandum calcar non est, quam licentia peccandi: dissimulatio publicorum criminum, vel ipsa imunitas.

Interrogatus Anaximander à Cleone: Cur tot & tanta vitia malique mores irrepseré Mundo? respondit: Quia nullæ aut raræ poenæ.

Primum errorem committit reus: secundum, qui illum dissimulat: tertium,

tium, qui non punit, cùm debet, & potest.

Delictum præteritum; præsentium est & futurorum præsagium. Primum aditum parat ad secundum, & hoc sequuntur plura, ut annuli in catenâ.

Non amant Subditi Principem, qui non expendit merita eorum: Sed nec facile obtemperant, si videant demerita non multari.

Multi innocenter condemnati sunt, sed justè plexi: quia alibi contraxerunt culpam, quam occulto DEI iudicio sic expiare debuerunt.

Nunquam sperent veniam injustè damnati.

Quos Injustitia condemnat, actum de illis est: quia plerumque victimæ sunt privati commodi, vel vindictæ.

Justè condemnati facilius perdonantur, quia non tanti habetur ratio publici, quanti stimulus privatuarum passionum.

Ubi integra communitas, vel ejus magna pars in poenam trahitur, sit

pa-

paucorum poena, exemplum in omnes.

Si omnium errores punire deberent Principes, & omnia compensare merita: actum foret de Mundo, & omnes propemodū exhaudientur thesauri. Quis enim est, qui se non aliquid mereri existimat?

Nunquam puniat Princeps per se, sed per alios: præmia verò elargiatur ipse solus.

Qui committunt errores, castigantur illi, non eorum dignitas: nisi se hæc vel cùm errore compati nequiret, vel earum privatio, ipsa poena esset.

Bonus Medicus non est, qui quantis medetur, tot etiam occidit. Nec Princeps, qui aliter Subditos emendare nescit, nisi catastis & suppliciis.

Nec tamen ideo intermittenda Supplicia, sed providendum, ne occasio sceleribus & aditus in Rempublicam præbeatur.

Delicta commissa punire necessaria-

tis

tis est: ne committantur impedire, majoris est gloriae.

Omnis verò ratio dictat, ut reus prius audiatur: Hoc naturæ beneficium est, ut se quisque defendere ausit.

Ipse omniscius, omniumque viventium Judex DEUS; primum mundi delictum non punivit, nisi auditum, vocato in judicium Adamo.

Commune apud Romanos odium meruit Galba, quod Cingonium Varonem, & Petronium Turpilianum ante supplicium non audiisset.

Licet occentes sint, innocentes habentur, ubi reis negatur defensio & patrocinium.

Poenæ capitales dilatae semper repeti: infictæ nunquam revocari possunt.

Vix tām justa ferri potest Sententia, ut poenæ præcipitata executio non sit injusta.

Sub Theodosio capitalem executionem in quadragesimum diem remora-

rabatur pientissimi Principis iuste iur
dultum.

Non ejusdem qualitatis omnia de
lictia sunt: in quibusdam mora non
expedit, sed ea reddit acerbiora, vel
periculosiora.

Aliter in criminibus privatis, aliter
in publicis: aliter in causâ statûs, ali
ter in notoriis, aliter in suspectis, ali
ter in dubiis, aliter in confessis procedi
solitum est.

Humanum est criminibus privatis
compati, vel ea planè dissimulare: at
publica publicè mulctanda veniunt;
ne in mortem abeant.

Crimina confessa & notoria, sicut
probatione non indigent; ita suspe
cta & dubia, cautâ inquisitione opus
habent.

In materiâ status poena prolonga
ta, sëpe brevis est Reipublicæ ruina.

In iis delictis, ubi simplex voluntas
poenam aliquam; efficax capitalem
meretur; exemplo, non cunctanter
procedendum.

Statistis planè consuetum, dubia
pro certis accipi: Suspecta pro com-
missis haberi; ubi pericitatur tota
Respublica.

Atrocitas antiquarum pœnarum
temperie indiget: Sufficiat, tollere.

Canis mortuus non mordet: nec
sublatus malefactor amplius opere aut
exemplo nocere valet.

Excogitata & immania Supplicia,
Judicis magis vindictam, quam Justiti-
am sapiunt.

Offendunt Spectatores magis info-
lita Suppliciorum genera, quam delin-
quentium delicta.

Inventores horribilium supplicio-
rum, fermè ea prīni sustinuere. Plena
eiusmodi antiquitas monumentis.

Carceres illi immanes Galliæ, sub Lu-
dovico XI. inventum erant Episcopi
Verdunensis; sed justâ D E I ultione
primus ille, primo & novissimè facto
carceri intrusus à Rege, per decem &
quatuor annos squalorem & horro-
rem

rem ejus pertulit, infelicior Perillo, ex tam diutino tormento.

Impossibile est, ut Princeps, qui horrore suppliciorum percellit omnes, non percellatur ipse metu aliquorum.

Non amant Principem subditi, qui eos non punit ut filios, sed persequitur ut hostes.

Castigare sine amore, non est actus Principis justi, sed vindicativi. Ipsa animalia non mactantur ex odio, sed ex necessitate conservandæ vitæ humanæ.

Delinquentes (licet scelerati) homines tamen sunt: & tantum ob communionem naturæ humanæ compas sione, quantum ob eorum demerita animadversione publicâ digni.

Peccatis irasci oportet, non peccantibus.

Tunc verò nocet maximè rigor & nimia Severitas, quando vitiorum malignitati non pares esse videmur.

Intempestiva remedia accendunt de-

delicta. Ut enim antiqui morbi moderatione magis & diætâ, quam medica manu sustinentur; ita inveterata Reipublicæ mala, exasperantur magis, quam tolluntur per importuna supplicia.

Sunt quædam delicta, quæ commissa dissimulare; quædam quæ non observare antequam commissa: quædam quæ nondum commissa, observare oportet.

Virorum eximiorum, ut magna admiratio, ita difficilis censura; sed omnium difficillimum est Supplicium.

Cùm læditur Majestas unius; cæterorum Regum communis est causa: quæ neglecta, eorum Solia exponit suppliciis.

Scimus coronatos Vertices jam & olim procidisse ante pedes carnificum.

Quod illis accidit iniuitate sortis; vobis accidere potest, vestra supina dissimulatione mali exempli.

Criminis læse Majestatis (quo atrocius

cius nullum est) tutela aut patrocini-
um, magis conjuratio est.

Ejusmodi crimen non expectari, sed
præveniri debet celeriter.

Actum tunc est de illo, quisquis
præventus est.

Principes absoluti supra leges sunt:
non alligantur, ubi in criminè Majesta-
tis, intercedit nonoreitas facti, ad for-
mam processus.

Fuga, exilium, in crimine lèse Ma-
jestatis idem operatur, ac excatena-
tus canis, vel leo ex carcere emissus.
Caveant sibi Principes, ab ejusmodi
belluis, & in tempore sibi prospici-
ant.

Nolite tamen secundum faciem
(monitum est Spiritus Sancti; vel, ut
interpretatur M. Gregorius) nolite
ex Suspitione, ex vano rumore, vel
malo temerarè naturæ usu judicare, sed
justum judicium judge.

Non torquete leges, non sensa ex
torquete, ut innocentes torquatis

Sit vestra maxima fama, Clementiæ nomen.

Credite: multa funera mortalitatis esse indicia: & continua Supplicia, Tyrannidis sacrificia.

Igitur temperanter vos, mei Principes! parvis peccatis veniam date: magnis Severitatem adhibete: nec semper pœnâ, sed sæpius pœnitentia contenti estote.

Ab expeditâ Justitiâ ad Arma te provoco, mi Princeps.

Ordo quippe naturalis hoc exigit: Suscipiendi belli autoritatem atque consilium penes Principem esse.

Arma rectè constituere, est velle Salutem omnium custodire.

Principis munus est, tueri suos: Imbecillis non tuetur, sed fortis.

At nec fortitudo sine viribus; nec vires sine armis. Ideò omnis Regnum, Imperiorumque tutela latet in præsidio bellicæ virtutis.

Armorum fortitudo, ut virtus sit,

F

ma-

maneatque: longè temeritatem repellet, & injustitiam.

Ut temeritatem effugias; bellum non facile suscipe; nec certam pacem cùm sperata victoriâ commuta.

Nullum tām felix bellum, quo non potior sit quæcunque pax.

Nequaquam licet in bello bis peccare, nec proprio damno sapere, quia irreparabile erit.

Quantumvis tuis viribus confidas, non tamen debes certa pro incertis indiscriminē ponere.

Armis & bello crescunt Regna; sed eisdem quoque pereunt.

Medio ibit prudens Princeps: nec provocabit arma, nec metuet paratus. Sicque temeritatis & pusillanimitatis devia declinabit.

Prima sua incunabula Res publicæ & Imperia debent armorum dexteritati, qubus olim potentior in debiliorē si bi afferuit dominium. Unde Regnum fermè omnium origo.

Rudi illâ ætate hic gentium mos fuit:

nunc

nunc non potentia potior, non vires
maiores, sed Justitia est Armorum
causa.

Pro eo, quod habuisti fiduciam in
munitionibus, & in thesauris tuis; tu
quoque capieris: ait Dominus. (b)

O mi Princeps, ideò jam non vici-
sti, quia de tuo præsumplisti. Qui præ-
sumit de viribus suis, antequam pu-
gnet, prosternitur.. Arrogantia tua
decipiet te.

Potentiâ utendum, cùm necesse est:
Jure prius experiendum, quam Vi: Pax
ante Bellum quærenda, offerenda, pro-
curanda.

Nihil quippe æquitati tām contrari-
um atque infestum: nihil Juri tām ini-
micum, quam Vis.

Nihil exitiosius Regnis & Civitati-
bus: nihil minùs civile & humanum,
quām constitutā & compositā Repu-
blicā agi per vim.

Felix Princeps! quem ita armat di-
vina Sapientia, ut pro thorace Justitiam

induat, & pro Galeâ Judicium rectum accipiat, & sumat scutum inexpugnable æquitatem.

Per hoc tamen Christiana disciplina non culpat bella, sed nullibi majorem Justitiam exigit, quam in his.

Ubi cædes hominum, & Regionum pernicies atque ruina contortitur, ibi maximam oportet habere Justitiam, & ineluctabilem tantum necessitatem sequi.

Etiam Viri fortes modesti sunt; & inter armorum strepitus æquitatem coniunct. An Josue, an David, an Machabæi, non fuere Viri bello fortes, & tamen justi?

Fortitudo, quæ per bellâ tuetur à barbaris patriam; vel defendit debiles contra potentiores; vel à latronibus & usurpatoribus socios: plena Justitia est.

Pro Justitiâ agonizare (ait divinus Ecclesiastes,) & usque ad mortem cer-

ta pro Justitia, & DEUS expugnabit
pro te iniūcios tuos.

Ubi autem dominandi sola libido
arma induit: vix ea Cœlum felicitat:
imò cum exaltaveris quasi aquila ni-
dum tuum, inde detrahā te, dicit
Dominus. (i)

Melior est Sapientia, quām arma bel-
lica: Aphorismus est divinæ veritatis,
pud Ecclesiasticum.

Idque probat: Hanc sub Sole vidi
Sapientiam, & probavi maximam.

Civitas parva, & pauci in eâ viri. Ve-
nit contra eam Rex magnus, & vallavit
eam, extruxitque munitiones per gy-
rum, & perfecta est obsidio. Inventus
que est in eâ vir pauper & sapiens, &
liberavit urbem per Sapientiam suam:
& dicebam ego, meliorem esse Sapien-
tiam fortitudine.

Parabolæ hujus ectypon Archime-
des.

Syracusas obsidebat Romanus exer-
citus: Cives intus impotes, nec pares

tantæ potentiaæ foris. Unus Archimedes quiescere jussit cives, seque tuerendæ urbi obtulit unum & solum.

Obsidionem triennio sustinuit, & multoties per suas machinas non solum hostium submersit onerarias naves, sed etiam vitri Solaris æstu integras delevit phalanges Romanorum: Sicque unus pauperque Sapiens confudit totam potentiam Romanam.

Sic non magis corporis robore, quam consilio & prudentia bella geruntur.

Sic non minus est, arte & consilio superare, quam gladio.

Quantis discriminibus, quotve combatibus iam compertum: Ingenium in bello plurimum posse.

Mihi tantundem est, callidis consiliis & machinationibus hostes opprimere, quam palam & productâcie.

Non semper aperto Marte, ubi commune omnium periculum est, sed occultis consiliis proscinditur hostis, &

Victoria obtinetur tantò glriosior,
quantò suorum Sanguine minùs cru-
enta.

Credo jam divino Sapienti: Guber-
naculis (vel, ut septuaginta legunt,
consiliis) tractanda esse arma. (k)
Et, virum sapientem etiam fortem es-
se, & virum doctum robustum & va-
lidum: quia cum dispositione gerit
bellum, & erit salus, ubi multa con-
silia.

Pacem colere, & tamen semper para-
rearma; pacisque tempore ea cogita-
re quæ belli sunt: sapientis & providi
est Principis.

Actum est, hoste præsente Amicos
quærere; aut imminente, parare.

Ars bellandi, si non præluditur, cùm
fuerit necessaria, non habebitur.

Disce in otio, quid te acturum ve-
lis in bello. De cubiculo in aciem,
de umbra ad solem durum est egredi:
& corpus assuetum sindone vix loricæ
onus subibit.

F 4

Pax

(k.) Prov. 21. & 24.

Pax non contradicit Armis, sed per hæc conservatur illa.

Si quando accesseris ad expugnandum civitatem, offeres ei primum pacem, præcepit Dominus in Deuteronomio.

Apud justos Principes non parantur bella cupiditate aut crudelitate, sed Pacis studio geruntur: ut mali coerceantur, & boni subleventur.

Non quæritur Pax, ut Bellum exerceatur, sed Bellum geritur, ut Pax acquiratur.

Insipiens est, movere bellum, si florente statu liceat retinere pacem. Si autem necesse est pericula adire ex iusta & legitimâ causa, magis reprehendendus est is, qui fugit periculum, quam qui sustinet.

Multum olim militia differebat à latrocinio: nunc hoc illi congenitum, vel planè unus utriusque partus est.

Interim alia Numinis mens: Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis,

ut

ut expugnes eam; non succidas arbores, de quibus vesci potest: nec secundis debes per circuitum vastare Regionem, quoniam lignum est, non homo. (l)

Militare, non est delictum; sed prædari, latrocinari, fornicari, & ex libidine quæque agere, planè sceleratum est.

Divina Providentia, cùm militibus sua stipendia constituit, prædari interdixit.

Neminem concutiatis, estote contenti stipendiis vestris. Ita quidem Johannes Baptista: sed arma vix servant modum.

Non facile armantur Principes, quin armari sciantur a vicinis. Sola armorum fama nobis vel accersit pericula, vel aliis incutit metum.

Callidiores Principes, armorum causas veras obtegunt, vel alias prætexunt, ut suspendant alios, nec se suspectos reddant.

Philippi II. Classis illa immensa to-

F 5

tam

(l) Deut. 20.

tam suspendit Europam, cui inde futurum periculum? donec præter opinionem Angliæ oram appelleret. Sed ab immiti fluctuum elemento ingens ista machina disjecta; mox in principio magis adversantis Fortunæ cladem pertulit, quam hostis.

Sapientis non est, velle certare, & in aleam periculosè se committere: quoniam vincere non est in nostrâ potestate. Eventus belli incertus.

Sæpe in parvis momentis magnificus intercedunt.

Errant, quicunque in bello omnes secundos expectant eventus.

Bellorum successus omnes, boni aut mali, primum à viribus vel earum defecit: deinde ab occasione, quam vel causus offert, vel ratio aperit: demum à Justitiâ causæ dependent.

Si bona fuerit causa pugnantis (ceteris omnino paribus) pugnæ exitus malus esse non potest: sicut nec bonus judicabitur finis, si causa non bona præcesserit.

Bello malè instituto, necesse est Principes malè audire, & culpari ob damna. Nihil quippe tam capax malignitatis, sermonumque sinistrorum, quam bellum, non ex fortunâ gestum.

Sic malè audiit Fridericus Palatinus: is spe coronæ Bohemiæ cum Austriacis Principibus se implicuit, nullorum certus auxiliorum, neque ex Galliâ domi occupatâ, nec ex Anglia, quæ negabantur, neque ex Belgio vix sibi tunc compote; sed solis Unionis viribus confisus, quæ Bellua multorum capitum magis illi noccuit: donec victus, omnisque potentiae expers, per ludibrium proclamatus fuit solstitialis Rex.

Omne bellum sumitur facile, sed ægerrimè finitur. In ejusdem potestate initium ejus & finis non est. Incipere cuvis, etiam ignavο licet: deponi, cum Viatores velint.

Sapientis est, à Bello abstinere, etiamsi graves belli causas habeat.

Bellum nemo juste reprehendit, sed ejus causas. Nocendi cupiditas, do-

minandi libido, mera æmulatio, & æstus gloriae humanæ, immodica potentia, alieni aviditas & usurpatio, & si quæ his similes causæ bellorum sint, justissimè culpantur.

Boni malique Principes, causis diversis, studio pari, bellum omnes capiunt.

Tunc justum est concurrere ad arma, cùm locum apud hostem invenire nequit Justitia.

Bellum debet esse necessitatis, ne obruamur necessitate, & conservemur in pace.

Inutile cùm iis, qui quod amittant, non habent, bellum geritur.

Studium abolendæ infamiæ, causa justissima belli est. Infamia autem censenda est, si ab eò cladem accipias, qui supra te non est.

Ut modestia est quiescere, si non afficiaris injuria: ita Justitia est, cùm injuria afficeris, bellum paci antefere.

Justum est bellum, quibus necessarium;

rium: & pia arma, quibus nulla nisi in
armis relinquitur Spes.

Bella gerimus ob eam causam, ut
in pace vivamus; & negotia suscipi-
mus, ut aliquando in otio commore-
mur.

Nullum bellum per seipsum optan-
dum est, sed Pacis tantum causa susci-
piendum.

Ita bellum, mi Princeps, suscipe, ut
nihil aliud, quam pacem querere vi-
dearis.

Malè queritur belli tantum exitus,
non illius causa.

Eventus belli, velut æquissimus Ju-
dex, unde Jus stabit, inde dabit victo-
riam.

Ex omni occasione captare causas
belli, non justè Regnantis, sed insidian-
tis est.

Ubi causam Principi suggerit vel
ambitio, vel avaritia, injustum suscipit
bellum.

In eum, qui Jure agere, & satisface-

re paratus est, nefas erit Bellum sumere, tanquam in injurium.

Præstat arduum & difficile bellum evitare, honestis conditionibus hosti concessis, quām se cupiditate vindictæ, in incertum Martis discrimen conjicere.

Aut bellum à Principe non suscipiendum, aut pro dignitate gerendum: alioquin cadet in suorum odium, & exterorum contemptum.

Bella temerè quærentibus, & fōventibus, multa sēpe infortunia accidere, multæque clades, & sēpe fatum ulti mum, ut Carolo Burgundo, & centum aliis.

Hostis nunquam est contemnendus, tametsi imbecillis: cùm victoriā per Virtutem liceat semper consequi.

Principes imbecilliores, vel impares, potius honesto Pacis & Amicitiæ nomine, cùm potentiore hoste, si quā fieri potest, paciscantur, quām oblitinatione animi in armis persistant, in quibus

bus vel suam imbecillitatem, vel metum prodant.

Cum Principibus, quibus in pactis nulla fides est, magis expedit bellare, quam transigere. Frustra enim est pacem sperare a perfido, & periculoso ab armis desistere, nunquam quieto vicino, aut insidiante semper æmulo.

Bellorum causa illa Numinis magis est accepta, cum Principes fines suos defendunt, & hostes prius nullâ laceesserunt injuriâ. Hostes vos sentient Madianitæ, ait Dominus, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.

Justum quoque est, amicis & federatis opem ferre: Sed non in causâ turpi, aut injusta, neque ex prætextu.

Injustus autem prætextus est; ex Sociorum tutelâ, avaritiâ ferri in aliena: & sua magis protelare, quam sociorum conservare pomœria. Sic ferme terrarum omnium potiti Romani.

Inopinatas invasiones, quaqua licet retundere arte. Persæ exemplo sint: qui metuentes virtutem Agesilai; multo auro corruperant Græcos; ut illi ob domesticos motus in patriam revocaretur.

Sicut Christianus Princps induciarum mentionem nunquam repudiare debet; ita eas auro emere & pacisci, ut inde cladem avertat à Patria, nihil adversus Regiam dignitatem agit.

Ludovicus XI. non gravate pactus est Eduardo Angliæ Regi quinquages mille aureos, quos per totum noven-nium induciarum singulis annis pen-deret.

Cùm belli calamitates prævidentur centuplò majores esse pretio pactarum induciarum: an indignum erit, minori subjici malo, ut avertatur majus?

Nullum tantum pretium est, quo majus non sit, cùm hostis distinetur à Victoriae cursu, & illibata servatur patria.

Indusæ subjectionem non inferunt; sed ex opportunitate temporis majores vires, quibus magna securitate licebit belli subire aleam, & cum fœnore recuperare amissum pretium.

Armorum justitiam consequitur Scientia militaris. Hæc autem in providendo, agendo & finiendo bello consistit.

Fortiter agendum: ut gloriose finias. Multum providendum; ut fortiter agas. Diù apparandum; ut celerius vincas.

Providendum primò de nervo belli: Sine illo claudicabit hoc. Claudorum namque morbus in nervis est.

Bellum in armis solum non vertitur, sed in sumptibus, per quæ efficacia redduntur arma & utilia.

Alterum est commeatus, cuius defectus non habet remedium. Mendicitas quippe ad omnem desperationem vocat armatos.

Fa-

Fames intrinsecus pugnat, & vincit
sæpius, quam extrinsecus ferrum.

Alexander inquietabat: Miles non
facile timebit, si vestitus, armatus, cal-
ceatus, satur, & aliquid habens in pe-
nula.

Tertium, Arma: Instrumenta nimi-
rum belli, machinæ, tormenta, globi,
& centum talia; sine quibus nec ex-
peditum, nec promptum est bellum.

Frustra præcurrit miles, si impedi-
menta sequuntur tardè: Quæ tunc
propriè impedimenta dici debent, cum
illis destitutus aut nihil agit, aut plane
perdit.

Error vix alias hoc frequentior est;
& tamen vix alias minus emendatur
unquam, eripientibus se interea optimis
occasionebus.

Quartum Miles, ejusque disciplina,
robur, magnanimitas, fides; unicæ mi-
litum dotes.

Disciplina militiam continet: illa
dilapsa, latrocinabitur magis, quam
bellabit.

Plus

Plus Duce m̄ suum miles timeat,
quām hostem.

Melius est parere belli imperatori,
quām hostem occidere.

Cœca & firma obedientia est vitalis
Spiritus disciplinæ militaris.

Effrænes milites impedimentum
magis sunt, quām præsidium. Ho-
spitibus illi tantum metuendi, non ho-
stibus.

Apage, qui in pace prædas, inter ar-
ma fugam meditantur: inter vina, in-
ter symposia victorias canunt: in hy-
bernis leones, in præliis lepores a-
gunt.

Ducum s̄epe avaritia dissolvit Disci-
plinam militarem, & milites in latro-
nes commutat.

Gens gentem præcellit in bello, &
plaga Cœli non tantum ad robur
corporuin, sed etiam animorum fa-
cit.

Locorum asperitas durabiliores red-
dit homines. Sub divo & in labori-
bus

bus enutriti, facilius sustinent belli incommoda.

Viros illos aestimo, quorum artus induravit natura in patientiam, disciplina in obsequium, fides in constatiam.

Quibus non aurum, non argentum, non pyropus, sed scutum divulsum, fracta galea, Ensis acer, facies vulnerata cedit in ornamentum.

Ateas hoc modo scripsit Philippo: Tu imperas Macedonibns bellandi peritis: at ego Scythis, qui cum fame, siti, Aquilone pugnare noverunt.

Tutius tibi deinde sit (si copia est) domesticos armis erudire, quam alienos mercede conducere.

Mercenarius miles venalis est: fidem venum exponet plus pollicenti.

Musa id accinit: Nullam fidem, pietatemque esse viris, qui castra sequuntur: Sed venales manus: ibique fas maximum, ubi maxima merces.

Eos

Eos adlego in veros milites, qui nihil magis verentur, quam turpem famam: quae dum eos prohibet fuge-re, faciet aliquando victores.

Hæc tamen tanti non sunt, nisi militiae Dux supergrediatur omnem privatam conditionem, tam pruden-tiâ, quam magnanimitate; tam integritate, quam fortitudine; tam fortu-nâ, quam consilio.

Si Duces se invictos bello exhibe-ant, invictus etiam miles futurus.

Ut remiges sine Navarcho, ita mi-lites sine Imperatore parùm agunt, ei-trapericulum..

Belli Dux autoritatem maximam severitate communiat: Omnes cul-pas militares militari more mulctet: nec credatur errantium ulli ignoscere.

In sedibus & hybernis, pœnis & ti-more corrigat: in expeditionibus spe & præmiis faciat meliores.

Unus imperet omnibus: aliqui of-ficio & consilio assistant: Omnes ob-temperent ad omnem nutum.

Plu-

Plurimum nocet multitudo impe-
rantium, quia à multis Regimen incer-
tum, aut planè nullum. Turpe mul-
ti Duces, milites perpauci.

Longa Experientia, & utriusque
fortunæ casus commendant Duce-

Circumspectio deinde in agendo;
Vigilantia in observando; astus & cal-
liditas in præveniendo; Prudentia in
cavendo, vigor in opprimendo.

Nolo Fabium cunctatorem, nimis
videlicet propinquum ignaviae. Nolo
Marcellum, nec Terentium, nec Varro-
nem, audaces plus æquo duces, & ter-
meritati assuetos.

Medios volo: qui extrema rerum
evitant: qui periculis prospiciunt, &
ea declinant: qui norunt vires exigua-
as intendere, & nimias moderari: qui
ve ex alea dubia faciant certam.

Præ cæteris fama rerum gestarum
(quæ in omni Imperante adversus ho-
stes validissima) summum est in belli
Duce encomium.

Satis bonus habeatur Dux, cuius i-
psum

psūm nomen metuunt hostes, cuiusve fortunam illi sāpe experti cūm suā internecione, qualis Scanderbegus erat.

Nam etiam fortunæ fama belli Duci non minus necessaria est, quām ipsa Authoritas, reique militaris peritia.

Fortuna quibusdam fortuitum, nobis donum providentissimi Numinis est. Illa interim non omnibus, sed aliquibus assistit. An ex merito, an alia occultâ ratione? (quia etiam improbis illam maximè favisse palam est) nobis incertum, soli Numini id liquet, eujus iudicia abscondita, semper tamen justa.

Interim tu crede: DEOS laboribus omnia vendere, & fortioribus adesse.

Ideò cum Salustio concludo: In bellicâ Fortunâ magis aspectus habendus peritiæ, & Auctoritatis, quām Virtutis & morum.

Altera Scientiæ militaris pars, videlicet in agendo, comprehendit operationes Martiales, nimirum aggrediendo

do, congregiendo, insistendo, persequendoque hostem.

Circa hæc advertat Princeps ad quædam.

Non licet in bello bis peccare. Error in bello mors est.

Aut vires aliquando augendas, aut minuendam audaciam:

Sin minùs fidis numero copiarum, Virtutem accuratius specta: id age, sicque instrue, ut opportunitate loci, temporis, aliorumque stratagema-
tum; singuli compluribus sufficient.

Ita Vitelius in bello Belgico, ita Castriotus Dux adversus Turcas, suam militiam opportunè instruebat, ut sa-
pe unus Epirota contra quinquaginta Turcas tutò pugnaverit, insuper ob-
tenta victoria, fugatoque aut plane
deleto hoste, & relatis optimis in Epi-
rum Spoliis.

Nec ante multos annos Badensis Dux Ludovicus, ad Croatiae limites, tribus Germanorum millibus decerta-
vit contra quindecim Turcarum millia,
campumque infedit vicit. Non

Non æstima numerum & linguas,
sed manus & tela. His opus hic, non
illis.

Fortissimus in discrimine erit exerci-
tus, qui ante discrimen fuit modestis-
simus.

Ita semper agat, seque moveat ex-
ercitus, atque ita provisus sit, ac si o-
mni momento hostis adesset.

In labore, in otio, in somno, in sta-
tione, omnique hora ad prælium ex-
peditus videatur, præsertim vicino
hoste.

Occasiones præstoletur, nunquam
eas negligat, hosti nullatenus quie-
tem concedat, quotiescumque eam tol-
lendi vel turbandi fas & vires.

Quæcunque fortuna se præbeat,
flecti debet in præsentem usum & ho-
ram, & indè capi consilia, quibus ple-
rumque licebit arbitrari in eventus, &
futura compendia.

Sola apparatus militaris fama, plu-
rima sine sanguine confecit bella, in-

cusso in hostes Panico metu: & ex hoc
vel deprecato bello, vel arrepta fuga.

Majori apparatu egent externa bel-
la, quam domestica; maritima, quam
campestria.

Sedem belli figere in alieno solo, ti-
bi emolumento erit magno, & hosti
detrimento maximo.

Qvoties experta hoc est Germania
in Sueco & Gallo, qui in intestina nostra
producto exercitu, nostris se visceri-
bus saginabant, nostrisque viribus nos
opprimebant.

Magis & solertius à tergo caven-
dum, quam à fronte.

Nunc de prælio, cum hostibus con-
serendo, agamus.

Ego verò (inquit Trivultius, belli
expertissimus Dux) illud maximo-
rum bellatorum firmamentum perpe-
tuum semper esse ajo; quod & ipse usu
verum esse comperi: nunquam, nisi
magna rei benè gerendæ occasio in-
vitet, vel necessitas cogat, pugnæ for-
tunam esse periclitandam.

Cum

Cum magna multitudine hostium, præsertim eō absente, qui summam armorum tenet, nisi æquo loco, aut opportunitate datâ, Legato belli Cæsar dimicandum non permittebat.

Aut inopia, aut cunctatione, aut vici- situdine temporum, aut præventione, aut terrore, melius est hostem dñmare, quam discrimine pugnæ.

Hujus vivum erat exemplum Tu- rennius Heros, cum nostra sæpè clade. Sic Orangium vicit Dux Albanus ad Gettam fluvium.

Dubius prælia semper successus est; quia plūs in hoc fortuna potestatis ha- bet, quam virtus.

Interim summa foret dementia, pro- speræ rei gerendæ facultatem segniter dimittere.

Imparatum aggredi hostem, lassum, pabulantem, somnolentum, distra- ctum, est Victoriae certum præludi- um.

Ex usu præsenti, ex opportunitate sitûs, ex accidenti, præter opinionem

res plerumque magnæ in bello succedunt, sive prosperæ, sive adversæ.

Necessitas sæpe ante rationem est; nec sinit expectare, nec tempora legere.

Subita conterrent hostes, uitata prævidentur, prævisa vilescunt.

Quo genere depugnaturus sis, ignorant hostes; ne contra ~~remediis~~ artem eludere arte moliantur.

In omni pugna, quod tibi prodest; adversario nocet: quod illum juvat, tibi officit.

Contra te esse incipis, quod ex ejus arbitrio, aut suafu suscipis. Veteri adagio: ab hoste nullum consilium, nullum auxilium.

Difficile vincitur, qui verè potest de suis, & de adversarii viribus judicare.

Nunquam ad certamen publicum perduces militem, nisi cum eum visideris sperare victoriam.

Campos opta; si equitatu ponas:

ſpedite; angusta loca lege, montuosa, ſcabroſa, paluſtria.

Semper cura, ut prior aciem instruas, promptumque te prælio exhibeas. Plus quippe animi eſt inferenti periculum, quam propulsanti.

Satis citò incipit victoriam, qui rebus omnibus providit, ne vinca-tur.

Glorioſa erit victoria, citra domeſti-cum ſanguinem, aut propulfare ho-stem, aut cædere.

Ideò extēnum potius, & merce-narium militem certis periculis ex-pone.

Interim aggressio omnis, citra re-spectum personarum, fiat per fortissi-mos. Omnia prima metum gignunt, aut fiduciam.

Multa magnis Ducibus ſicut aggre-dienda non ſunt; ita ſemel aggressis non dimitenda. Cæſarem illum con-tempnare invictum: Jaeta eſt alea: Rubiconem transivimus.

Magna siquidem famæ momenta in utramque partem fiunt.

Situs rectè inventus, locorumque à tergo & latere securitas, augebit tuis confidentiam, hostibus imminuet.

Amplius sèpè prodest locus, quam virtus ipsa.

At si situs, pugnæque locus, si solis fulgor si tormenta hostium tibi adversentur, ne exponas te discriminari.

Tamdiù agminibus fluctua, cede, recede, obversa, move in hoc, aliud-ve latus; insiste: donec nanciscaris occasionem, sine discrimine confi-gendi.

Sin minus; adhortamentis supple, militemque erige ex necessitate in vir-tutem, ex virtute in spem Victo-riæ.

Acriùs pugnant, quibus certum di-scrimen, exigua spes pacis cum hosti-bus, aut veniæ reliqua.

Ita Cives Harlemenses ad extre-mam indignationem, multifariis inju-riis, Hispanum militem studiosè in se-con-

concitarunt; ut, si se dedere vellent, nequirent id, ob atrocitatem criminum desperata venia.

Ante prælium, quanquam virtuti militum, & in omnem casum instructis agminibus confidas; tamen utiliter preces miscebis, alloquendo, exhortando, laudando cunctos.

Super omnia valebit exemplum, si te, ut Ducem, periculorum sœcium feras.

Ægrè continebuntur tuorum inter arma manus, si ex victoria vindictam, pariter & prædas ostentabis.

Crescit tuorum animus, si ex insidiis, vel inopinatâ occasione quid fortiter feceris. Si hostibus res adversæ cœperint obvenire, augebis rumore.

Ad Victoriam plurimùm conferet, ut lectissimos de equitibus & peditibus reserves post aciem, ad quæque subsidia præparatos.

Oui superveniunt, terribiliores sunt semper hosti iis, qui in manibus sunt, & pugnant.

Pars magna victoriae est, inimicum turbare antequam dimices.

Spem non dubiam rei bene gerendæ pollicentur: Causa in primis justa, fidus ac veteranus miles: tormenta & machinæ plurimæ, recteque dispositæ: locus æquissimus, vel in rem tuam commodior: & nullius demum rei, præterquam communis Salutis, finis.

Nemovere hostium clamore, non impetu, non numero: inania hæc sunt, umbræ formidinis, non cauſæ.

Sta firmiter in primordio prælii: nec segnis tunc, nec præceps esto: donec evaporet fumus furia hostilis.

Tum age viriliter, insiste fortiter: ardorem animi oculis, vultuque præfer, sed magis manu & telo.

Cum te impavidum cernet hostis; ipse timebit. Ubi minus timoris haberis, ibi minus periculi:

Crede, sed impavidus: Eventus omnium præliorum, inter initia, contra illos

illos magis fuisse, quibus Victoria debebatur. Vidimus hoc nuper in Donawerdiano & Hochstetano geminis præliis.

In trepidatione aut inclinatione tuorum, ne te perdas ; sed contra audientior ito, nec animo destituaris facile.

Occurſa paventibus : retine cedentes : Ubi plurimus labor, repara : Unde aliqua Spes, insiste : consilio, manu, voce, monstra te Virum.

Si pars exercitūs vicerit, & pars alia fugerit, ut sœpè contingit : tunc ultro permitte priorem, de cæsis hostibus, spolia capere : fugitivam in ordinem redigere : Utramque buccinis exultare, quasi victoria plena potitus. Terrebit tanta hostem fiducia.

Scientia militaris tandem relucet etiam in finiendo bello.

Velenim vixtus es, vel vicisti? Vixtus: acerbiores fortunæ fructus non

tibi cumula: patere, & spera: dispersos congrega, tutiora quare.

Ferociores ex clade, modestiores
fuere ex Victoria Romani; in utra-
que fortuna semper impavidi, con-
stantes, & omnium imitatione di-
gni.

Etiam vinctus arma, si possibile est,
restaura: Occasiones quare, capta:
Strue in occulto insidias, & quocun-
que modo possis (dummodo oppor-
tunè) irrumpe audacter, & exultan-
tes vel prædantes hostes disjice, neca,
fuga.

Exultantibus tunc summum est di-
scrimen, cùm se securos existimant.
Formido illis incussa perplexos reddet;
& fortuna, quæ audaces juvat, repete
ab illis Victoriæ fructum.

Sæpe jam fusa acies, viatores di-
spersos, & sua commoda sequentes,
reparatis viribus fugavit, aut delevit;
cùm pro felicitate superbius, ideo-
que incautius efferantur mentes hu-
manæ.

Is mihi tanquam fortis, & invictus
Dux probatur, qui inter suos diffusè
fugientes, ipse insigni manu, voce,
vulnere pugnat, pugnamq; reparat, su-
stinet: & dum vincere nequit, invictus
tamen animo, ab ipsis hostib' censeatur.

Cato rebus deploratis, cùm Amici
hortarentur, ut ad Cæsar is clementi-
am confugeret, respondit: Catonem
nec victum, nec captum esse; qui se
per omnem vitam invictum præsti-
tisset.

Interim res satis misera est, adver-
sum prælium commisisse. Optimum
tunc erit, aut vicinos colles petere, aut
se intra sua munimenta, usque dum
possibile erit, continere; modumque
omnem operire, si qua opportunitate
reparare queas deperditam gloriam,
restaurando vires, excutiendo metu,
cladem minuendo, cladi authores pu-
niendo, & cæteris abscedentibus, per-
sistentes in discrimine præmiando.

Denique tantò magis te fortem cre-
de, quanto minus te adversa frangunt.

At si vicisti: viam, quā fugiunt ho-
stes, vel præclude, vel aperi: ut tem-
pus, ut vires ferunt.

Integris viribus primum licebit: ál-
terum expediet, quando victor etiam
cladem tulisti.

Qui dispersis suis inconsultè sequi-
tur, quām ipse acceperat, adversariis
vult dare victoriam.

Cave, ne præcox in prædam eas.
Sæpè obstitit vincentibus, pravum in-
ter ipsos certamen, omisso hoste spo-
lia conlectandi.

Sæpe ex occasione crescit audacia, &
visà victoris segnitie, arma reassumunt
victi.

Insperata interdum, obtentâ jam vi-
ctoria, major est. Victoria cladibus
mutatur.

Victoria omnia damna tegit, præte-
ritorumque cblita malorum, semper
nova meditatur lucra.

Prima in bello ex hostibus præda mi-
litibus data, eos in reliquum bellum a-
cuit & animat.

Finis belli Pax est; sed victoriæ merces præda: eorum nempe bonorum, quæ in hostium potestate antea fuerant.

Una Victoria parit plures, si prima rectè utaris.

Vincere scivit Annibal; Victoria uti nesciebat. Ad Cannas victor, si sufficientem hostem sequebatur, in turbem ipsam cum hoste irrupisset.

Non minoris virtutis est, parta victoria benè uti, quam hostem vincere.

Multiplicabis, si moderaberis victoriā, non in eos sæviendo, qui contra arma ferre desistunt.

Siegregium est, hostem vincere; non minus gloriosum, infelicis scire misereri.

Cneus Pompejus Tigranem bello superatum, certis rebus imperatis, in pristinum fortunæ statum posuit; æque pulchrum esse judicans: Et vincere Reges, & facere.

Decet Regnantes, etiam in bellis

meminisse Clementiæ: Barbaricæ se-
veritatis est, sævire in prostratos.

Sed rursus ita temperanda est Cle-
mentia, ne nobis sit exitio. Fit enim
non raro, ut hostis fugam, immo sub-
jectionem simulet, quo redintegratis
viribus acrior insurgat in victorem.

Malis, te fortunæ pœniteat, quam
victoriæ pudeat. Victoria si luctuosa,
si impia, si contra patriam, si contra Re-
ligionem, si contra naturalem Princi-
pem, magis clades dicenda est.

Victoria magno suorum sanguine
empta, potius calamitas est. Cadme-
as abominare victorias.

Prudentissimi Imperatores non in
multa clade hostium, sed in salute at-
que in columitate suorum militum vi-
ctoriæ decus posuere. Sufficit vici-
se. Victoriae finis Pax est, non ita
profusus contra humanitatem omnem
sanguis hostium, qui in torrentem a-
bit, & væsaniam magis, quam victoram
sapit; præsertim in Civilibus, & Chri-
stianorum bellis.

Victoram sic conclude: Opus ni-
mi-

m̄um post illam esse moderatione ac temperantiā: ne quis prospero fortunæ cursu fiat insolentior, & ea deinde censilia sequatur, quæ ad præcipitium deducunt: id quod non paucis magnis Viris accidisse constat, ex vetere & nova historia.

Ab Armis, ad eorum finem, qui Pax est, progredior.

(m) Acquiesce ab armis, mi Princeps; & habeto pacem: & inde habebis fructus optimos. (n) Dic cum Ezechiā Rege ad Esaiam: Fiat tantum Pax & Veritas in diebus meis.

Et reverā ii Principes, qui pacem negligunt, summam in natura humana felicitatem non agnoscunt.

Primum omnium bonorum in terra pax est, & tranquillitas populi ram: quam Principes in primis current, si amant suos, & amari volunt a suis.

Populi autem soliti vivere bellis,
præ-

(m) *Job. 22.* (n) *Esa. 39.*

præda vel latrociniis, diù pacem ferre non possunt.

Pax, quæ nimio pretio emitur, exinde que hoste potentiore facta: non est Pax, sed pactio servitutis.

Quando ea non redundunt, neque recipiuntur, quæ conventa sunt: Machinationem magis crede, quam Pacem.

Prætextus pacis multos perdidit, spesque ejus fecellit; cum paci succedens insperata calamitas, incautos obruit, sōpitosque; quos expperitos inveniens, non læsisset.

Ab hæreditariis hostibus, ab perfidis vicinis, ab reconciliatis inimicis, ab dejectis folio Regibus, ab æmulâ gente nunquam sinceram, minus longam pacem expecta.

Bellum Pax quidem sequitur, melius præcessisset, bello iter obstructura. Nihil quippe insanius, quam spe incertâ remedii, in aperta vulnera se se offerre.

Pacem inter dissidentes invicem
Principes tractare, opus est Angelicum:
concludere, planè divinum.

De pace tractaturi, præsertim Arbitri & Mediatores, causas odiosas belli, damnas quoque, & injurias præteritas non repetant accurate, neque illis diu insistant.

Per injuriarum quippe & similium memoriam recrudescere possent antiqua inter dissidentes vulnera, & forte redurescerent non pridem remolliti illorum animi.

Ejusmodi Pacis tractationes bellicosi Viri ægrè audiunt, maluntque magis bellum, quam pacem.

Et reverà bellum semper præstat Paci; si hæc vel turpis, vel inanis est.

Illud verò tempus præsentissimum Paci transigendæ reor, quando uterque dissidentium adhuc sibi confidit, paresque videntur: alias potius initur servitus, quam amicitia; difficilis admodum inter impares.

In sanciendâ pace id constituatur, ut deinceps incidentes controversia, induciis dirimantur, aut per arbitros componantur, antequam classicum ad arma intonent.

Sic induciæ, sive armorum suspensio, tam in tractatione Pacis, quam ubi desuper suborirentur, difficultates, utilis omnino est, & planè necessaria de ipso Jure Gentium. Quod enim Jure confici potest, armis ne transigatur.

Cognatæ autem induciis insidiæ sunt. Quosdam bello invictos induciæ fecere. Multa per illas hostiliter fieri, Gallico nuper bello vidimus. Deplumata est Aquila Imperii non alio, quam induciarum tempore & prætextu.

Induciæ hosti spatum largiuntur colligendi vires majores: licentius agitandi consilia: liberius contrahendi auxilia: tutius expiscandi alterius conatus: ferocius progrediendi in bellum: & (ubi modica fides est, aut nulla) in-

inopinatus obruendi æmulum, induciarum mandragorâ consopitum.

Nihil autem Pacis religione antiquius. Idem juratæ pacis reus, ac contemptor est Numinis, raro sospes, vel non diu.

Rumpunt pacem, non qui bellum primi movent, sed qui per insidias, fœderum tempore, arma capeſſunt.

Pacem violant, non qui depellunt, sed qui priores inferunt injuriam.

Pacem infringunt, non, qui deserti aliena quærunt auxilia; sed qui socios non defendunt, quos ex fœdere tenentur.

Nondum vacat calamo ab armis recedere, donec materiam etiam de seditione, & bello Civili, quod omnium fatalissimum est, expediamus.

Seditionem ajo: cùm res, discordantibus vel inter se, vel in majori parte, vel cùm suo Principe Civibus, ad arma vocatur.

Consistit autem principaliter in procurantibus, deinde in sequentibus:

non

non tamen in defendantibus bonum commune.

Seditio duas, ex una, Respublicas: vel biceps Regnum: vel planè Anarchiam, idest, totalem rerum omnium publicarum confusionem & Chaos quoddam inducit.

Enim verò, ubi domestica quies seditionum motibus fluctuat; omnis priscæ consuetudinis authoritas demeritur, plusque valet, quod violentiae turbines dissipant, quam quod suadet & præcipit Civilis modestia.

Medii cives ab utraque factione patiuntur, immo perduntur: partim quod nihil tulissent istis & illis: partim invidia, quod haec tenus fuissent incolumes.

Apud seditiosos diffidere inter se se, observare alios, & omnia suspiciose depravare, sapientia est.

Amant præcipitia, secue invicem præcipitant; ut non videant, inde se debilitari, exponique alienæ prædæ.

Col-

Collisiones quippe Civium non sibi
mercantur victorias, verum aliis.

Omnis seditio contra Jus divinum
est, quia resistit Potestati, à DEO ordi-
natae.

(o) Poenæ ineluctabili subjicitur, suf-
fragante oraculo: Time Dominum,
fili mi, & Regem: & cùm seditiosis
non commiscearis, quia repentinus ve-
niet interitus eorum.

Rarum, aut prope nullum ab omni
ævo, usque hæc tempora, qui Batavis
fuit, felicis successus ex seditione ex-
emplum vidimus.

An existimandum, ut mutilum ca-
pite corpus diu spiret vitalem halitum?

Væ Reipublicæ, ubi tot sensus sunt,
quot capita: Væ Regno, quod ab u-
nitate recedit: Væ singulis, qui rerum
suarum tantum satagunt.

Nulla Civitas tantis floret opibus,
nullæ tantæ copiæ Regnum propu-
gnant; quas seditio, civiumque com-
munis discordia non convellat.

(o) *Prov. 24.*

Se-

Seditio tanto deterior est bello, quanto bellum deterius est pace.

Seditiones interna quædam mala sunt; quæ quo ex infestioribus & occultioribus causis progignuntur, eò difficilius curantur, & perniciosius graßantur.

Seditionum autem causæ sunt variæ. Accidit plerumque in seditionibus, ut, unde plures erant, tandem omnes sint.

Earum quippe omnes causæ fermè commentitiæ sunt, & meritis prætextus: re ipsa omnes obiectum illum finem habent, vel libertatem, vel dominandi libidinem.

Præcipuum pessimorum incitamentum, Res publica divisa.

Acerrimi illi seditionum fomentatores, homines vere sanguinarii, scelebre & metu vecordes, miscent cuncta modo palam turbidis vocibus, modo clam occultis ad Principem sub literarum prætextu machinationibus donec commotis utrinque animis ex-

ci-

citetur tantum dissidium, quod vel totum statum concutit, aut evertit.

Libertatem & speciosa nomina praetexunt: inferunt querelas & ambiguos de Principe sermones, & alia quæque turbamenta vulgi.

Nihil tam regno perniciosum, quam si populus addiscat in Dominum palam obniti.

Magistri & incentores hujus sunt Catilinæ illi, Bruti, & Cassii, homines videlicet vel obærati, vel desperati, vel palam flagitosi, vel Satyrici genio, vel otiosi.

Nunquam adeò properat ad tantam contumaciam multitudo; nisi incitata à paucis quibusdam, qui non solum honores, quos quieta Republica desperant, se perturbata consequi posse arbitrantur: sed etiam quia scelerum vitiorumque suorum impunitatem sperant, peccando cum plurimis.

Origo omnis furoris popularis penes auctores est, reliqui contagione infaniunt.

In tres omnino causas seditiones refundit Polybius: videlicet, quando subditi suos Rectores culpant, & ægrè sustinent: vel rebus, quæ aguntur; offenduntur: vel spem rerum majorum animo concipiunt.

Ex prima causa eximios Status in Helvetiâ perdiderunt Austriaci.

Secunda commovit Lusitaniam contra Philippum, excusso, ut illa ajebat, jugo Hispanico. Hæc & tertia turbavit Belgium, & in immensum evexit Bataviam.

Aristoteles ait: Minores ut fiant æquales, æquales ut fiant maiores, seditionem faciunt.

Viri populares moventur in seditionem, propter inæqualitatem possessiōnum: Viri Aristocratici & Optimates, propter inæqualitatem honorum.

Utrosque vel impellit inopia, vel ambitio. Quia pauperiores semper bonis invident; vetera odere, novaque expetunt: Ambitiosi vero plerumque

que privatim degeneres, nihil spei, nisi per discordias habent. In turbis pravi summi habentur.

Ex causa præpotentiæ: cùm potentiorum unus, vel plures affectant summam Imperii.

Ab istis maximè periculosa Seditio: Affinitatibus enim splendidi, opibus tumidi, ab externis Principibus fulti, tumultum ex tumultu, bellum ex bello ferunt, ut excluso legitimo Principe, solium occupent. Ita olim Orangius in Belgio, Palatinus in Bohemiâ, & olim & nunc Ragozius in Hungaria.

Libertatem isti Regni deprædicant, ut Regem evertant: Si everterint hunc, ipsam libertatem aggredientur & Regnum. Ita Cromvellus ex Regicidâ trium Coronarum usurpator factus.

Ex violatione item privilegiorum, immunitatis, Religionis: ex contemptu quoque Procerum, & Magistrorum inferiorum: ex impositione onerum

nerum insupportabilium, & ejusmodi, culpa imperantium quandoque commissis, creari seditiones, cum magna convulsione Status, jam sæpè compertum est.

Ex Metu etiam, ait Salustius; cum, qui pœnas formidant ob maleficia commissa, insurgunt in Rempubli-
cam.

Interdum Regnantes ipsi, aut ex ni-
mia sævitiâ, aut plus æqua indulgen-
tia, commovent populum. In Virga
teneri debent Subditi, sed non ferre. Sit illa Virga directionis, quam depræ-
dicat Vates Regius.

Omnis seditio in quaavis Civitate &
Regno curari potest, si ejus cause tol-
lantur: alias remedia fient difficili-
ora, quam fuerint principia Seditio-
nis.

Communiter autem causæ, præser-
tim adversus Reges & Monarchs,
quæ in Manifestis publicis allegantur,
videntur esse merus praetextus (nullo
modo enim licet rebellare, sicut nec
Re-

Regem occidere) sed alia subest ratiō, quae non profertur, quia indigna, iusto est; nimirū affectatio, vel usurpatio Principatus: vel, ob delicta commissa, desperata venia. Utraque in modernum rebellem Ragozium coincidit; qui non pridem feloniae convictus, damnatusque, nunc planè occupare gestit Regnum, ex praetexta libertate; vetere utique cantilenâ seditionisorum hominum.

Raro, quae turbant incitantque plebem, eadem, cum nobilitate, seditionis causa est. Ubi tamen cum plebe movetur Nobilitas, aut ex illa aliquis primarius potensque, vel aliqui, Magnates nempe & Primores Status: non profecto partis sublevandæ, aut in commune consulendi gratia; sed ut ambitionis suæ, & in Regem consumacij, studia facilius, & ad oculum innocentius current, dum curare publicam à simpliculo populo causam existimantur.

Ideo difficilis horum est medela,

donec securis ad radicem ponatur, & radicitus excindatur ambitio illa, quæ supra privatam fortunam se extollit.

Salamandra non nisi magnis imbris comparet: Aliqui cum virtute excellere non valent, ex conturbatae Reipublicæ tempestate coruscare gestiunt.

Adversus ejusmodi Seditiones, potentiora remedia adhibenda. Bello tandem certandum, si obsequium detrectant. Exscindendi omnino, qui solium petunt.

Nunquam talibus spatiū pœnitentiæ concedendum, quia inde sceleri accrescunt vires.

Non resipiscunt illi, sed moras captant, ut magis turbent Rempubli-
cam, ac seditiosa auxilia conqui-
rant.

Ah quoties in hoc peccavit Cle-
mentia Austriaca!

Seditione in Republicā populariora,
non est optandum, ut perditis al-
te-

teris Pax fiat: Sed ut hæc ex reconciliatione, dum adhuc viribus pares sunt, concludatur.

At rarum hoc contingens est: frequentius dum se invicem satis attriverint, lassatis jam viribus, quiescent.

Seditionum adversus Principem remedium est, si cives nec inopiâ nimiâ, nec ingentibus divitiis laborent.

Cunctari in discordiis Civilibus, idem est, ac patens incendium amplius promovere. Festinatione potius, facto magis, quam consulto opus.

Princeps, qui sua vel incuria vel facilitate cœtus, consilia, & secretos consultationes patitur; proximè suam autoritatem discrimini expavit.

Solent enimverò seditiosi homines factionis suæ insignia, nomina, vel quædam alia indicia (ut Geusii fecerunt in Belgio) præmittere. Sed Mæcenas suasit Augusto: ut nec no-

mina nova quidem, aut aliud quid, ex quo oriri, aut foveri potest inter Cives divisio, ulla ratione dissimulet, aut permittat; sed mox authores similis imposturæ palam mulctet aut releget.

Seditio antequam adolescat, mitioribus consiliis flecti potest. Vel alloquio, per interpretes gratos vulgo: vel generali diplomate condonando culpam: vel dividendo factionem: vel opponendo majorem: vel authores per quemvis, oblatō præmio, opprimendo: vel promissis lactando, soperiendo: vel armis quantocius, adhuc imparatos, subigendo omnes.

Incipientia factionum premenda, cavenda, præoccupanda, omnesque subito Magistratum & potentiorum dissipandæ uniones, vel contentiones: tollendi palam, clam, arte, Marte, à quibus vel metus, vel prima favilla Seditioni injecta.

Omne malum nascens facillime op̄ primitur: inveteratum fit plerumque
ro.

robustius, dissimulatum insolentius.

In principio quæcunque, levia sunt: tentamina magis, quam facinora. Et Imperantis vires semper maiores, quam primi motus Seditio-

nis.

Aut spes vana pacis, aut fiducia nimia, aut supina negligentia, aut limitaneorum Ducum ignavia, aut Ministrorum partialitas, ex procrastinatione reddit adulteram seditionis audaciam, vix amplius sine discrimine infringendam.

Quoties id nostra ætate accidit, & nondum sapimus Phryges!

Primas obstrue vias: non fide Regno semel infido: Armatus semper ibi esto, inermi illo: Leones magis in caveâ coërcere: Sensim preme libertati assuetum populum: In herba opprime zizania: Sic in principio finies malum seditionis.

Augustus unico aspectu Aetiacas legiones, in seditionem commotas, ex-

terruit. Magna operatur præsentia
Principis.

Mennius tumultuantem popularem
Romam brevi oratione composuit:
sed plus valet apud populum Suada,
quam apud Primores, quorum in turbi-
do omne lucrum est.

Omne principium grave, sed reme-
dium facile, licet aliquando temerè sus-
ceptum.

In præcipiti quippe malo, temera-
ria interdum remedia non imperite
adhibentur.

Populus facilius componi potest,
cui se non immiscuit Nobilitas, aut
hæc ex partibus Principis est.

Secus illi ab hac fomenta & flabel-
la maxima, vires item: & prætextus
ille Nobilibus communis, ut hi quæ-
que in populum refundant, forte in ~~se~~
innocentem, reumque solummodo ex
Nobilium suggestione.

Immixta plebi in seditionem Nobi-
litas, vix sine Coronæ periculo compo-
nitur. Fatalis hæc Principibus Sedi-
tio

tio est, præcipue insidiantibus vicinis, aut opem & consilia suggestentibus magnis Potentiis.

Ectyon hujus præsens est Hungaria: vicino ex Poloniâ Sueco, & ex Thraciâ Ottomano: Suggestente consilia, opitulante armis, auro, milite; & fovente, perque suos Emissos dirigente Gallo universam Ragozianæ rebellionis machinam.

Ubi autem sola plebs popularibus furiis agitur: facilius, ac sine discrimine, paucorum pœna in primordio sedatur; vel deinceps speciosis promissis emollitur: vel authoritate Principisque præsentia componitur: vel mutuis cladibus conficitur: vel, ut saepè accidit, publicæ calamitatis fastidio conquiescit.

Populo si quid magnum eripuisti, illique gratum: mutato clypeo, indulgebis aliud quid minoris momenti, ad sedandam ~~seditionem~~ ne videatur ille sibi ex toto neglegi.

Ex indulgentiâ autem omnimodâ

H 5

in-

insolescit Seditio, victoriam inde suam reputans.

Intempestivum fuit Philippo consilium Operii, ut demortuo Reque senio Gubernatore Belgii, rediret rursus tantum munus ad Senatores Patriæ. Nam ex tunc secuta Provinciarum defectio, brevi aperuit: Indulgentiam hanc magis obfuisse Belgio, quam pristinam severitatem.

Seditiones & motus Civiles ex causa Religionis, sive à Nobilitate, sive à plebe & populo suscepiti, plerumque diuturni & Regnantibus fastidiosi sunt: ut in Gallia experti Reges fermè supra saeculum sunt, varia fortuna magis domi, quam foris occupati.

Religionis Seditio raro soli Religioni fuit exitio: sed quoties mota est haec Sacra Anchora, toties fluctuavit simul authoritas Principum.

Regna omnia & Dominatus, natura sua libertati humana odiosa, plurimum continet Religionis reverentia.

Ubi ex Religionis abjectu confiden-
tiores facti Subditi; omnia audebunt
in suos Principes: legem dabunt Le-
gislatori: imperium detrectabunt Im-
peranti.

Hæreses quippe sicut in Numen sunt
fœdifragæ, ita illius excusso jugo, ni-
hil impedit, quin sensim excutiant hu-
mana Imperia.

Macte animo tamen, mi Princeps! quanto acerbiora tibi ex Religionis Seditione pericula, tanto majora è Cœlo futura præsidia. Crede: Con-fide. Non est abbreviata manus Domini.

Religionis patrocinium primum Re-
gnorum est firmamentum. Ipsi bar-
bari hoc firmant fulcro suam potesta-
tem. Secede animo ad omnes Gen-
tes, & primam Deorum curam ubique
spectabis.

Hujus iactura nullo aut opum, aut
Imperii addisamento compensari va-
let.

Peccata tandem irremissibilis in eos
H 6 sæ-

sæviat, qui cœpere Seditionem: Sicuti præmiis cumulentur illi, qui eam composuere.

Quid si idem movit, & composuit? Qnod prius est: puni. Movere magis malum est, quam componere. Multi tales forent, qui inturbidarent Rempublicam, ut præmia inde colligerent, ex navata in malo opera.

Unde orta est culpa, ibi consistat poena. Authorum supplicia multitudini sint exempla, ne in posterum culpam contractam major sequatur animadversio.

Contumax si diu fuerit populus, vel Nobilitas: servitute majore prematur, ne amplius insolescat.

Hæc de Seditionibus; factiones accedunt: quæ à Seditionibus differunt in eo, quod factiones non impetant publicam potestatem, ut illæ; sed multo tantum se collidant; seque invicem odere ex æmulatione.

Diversæ factiones, quæ Seditionem non movent, aliquando tolerare expediat

dit in Republica: quo ex his illa redatur temperatior.

Magis populo sunt factiones exitio, quam imperanti, nisi ex illis publica inopia emergat.

Ars vincendi omni bello major est, omnique fame peior; factiones excitare in Republicâ, easque inter se commiscere.

Cùm se domesticis armis jam lassaverint, vel copia erit opprimendi omnes simul, vel successivè.

Bono Principi id non licebit, nisi in hostes suos, vel domesticos, vel externos.

Populi bellicosi, & opulentî, nisi exercantur factiōnibus & æmulationibus inter se, graves fiunt Principi.

Ad aliorum factiones gaudent Vici-ni, & exultant Potentes.

Omnium Regnorum, Rerumpubli-carum & Imperiorum mutationes, & extremos casus præcesserunt intestina dissidia.

Factiones, quæ extenorū auxilia
sibi comparant; ferrum acuunt sui fa-
ti ultimi.

In adversante factione tibi amicos
& fautores quare, corrumpe, &
in usum tuum, quaqua possis ratione,
converte.

Factiones magna plaga sunt Princi-
pis, qui nescit iis uti ad commoda
sua.

Ad tertium hoc armcrum in Repu-
blica fulcrum, spectat Legationum,
& fœderum ratio, quām paucis Laco-
ni expedire etiam licebit.

Legati oculi & aures Regnorum
sunt; alias dixit, honestos explorato-
res.

Jus Legatorum, apud efferatissimas
etiam gentes, sanctissimum.

Legati munus inerme est: manda-
ta, non arma defert: nec offendit, nec
offendere valet.

Qui interimunt Legatos, Jus omni-
um hominum offendunt.

Si verò Legati moliantur hostilia,
aut

aut in crimine Majestatis deprehensi
sint, characterem Legati violant, poenis
obnoxii, ut privati. Legatorum enim
immunitas licet sancta; Justitia tamen,
sanctior non est.

Legati, qui tempore, & praetextu
legationis, aliquid favum machinan-
tur, cohiberi, & puniri quidem pos-
sunt: honestius tamen ad suos remit-
ti, cum querimonia de ea Legatorum
injuria.

Satis erit, cohiberi: satis, providis-
se periculo: poena commigret cum
dimissio.

Reorum & facinorosorum exem-
ptioni eliberationique, praesertim vio-
lentæ, non se immittant facile Legati;
licet asyla praebant. Quippe cum
non videatur immunitas Legatis con-
cessa, in ruinam Reipublicæ, aut in
scelerum receptaculum.

Neque Principes prudentes alie-
nos Legatos, nec verbo, nec facto,
nec per se, nec per alios offendunt;

tam

tam in persona eorum, quam suorum.

Sat habuit, sub Alexandro VII. Roma, quod componeret cum Gallia, in Legato suo graviter læsâ.

Principes siquidem, in tractandis mutuò eorum Legatis, æquissimum habent Talionis æquilibrium, cùm pari referunt.

Si quam Princeps injuriam veretur suis Legatis, tamdiù valebit alterius Principis Legatos obsidum detinere loco, donec apud alium suis consularunt.

Principes providere debent, ut idoneis hominibus suam Personam, suamque authoritatem ac negotia, apud exteris gentes, committant.

Totum quippe Principem representat Legatus, in alieno solo: totum agit: hujus nomine auditur, & audit: ejus est prototypon, oculi, aures, lingua & manus.

In Legato genus requiret Princeps, saltem mediocre; non mechanicum, aut

aut plebejum : negotiandi peritiam plusquam ordinariam : facundiam præcipue & Suadam comitem : Sagacitatem cum obiecto pectori, oreque clauso : Prudentiam cum magna fama conjunctam : easque virtutes, quæ non nisi in Viris regno aptis reperiuntur.

Externa quoque spectabit, ne emitat ridiculos & monstruosos; sed quos natura largiter excoluit, nec in ludibrium fabulamque formavit.

Et sicut Imperantes providere debent diligenter, quibus hominibus regium hoc munus committant: ita vicissim quoque illi, qui mittuntur, explorent suas vires, ne maximum onus imparibus viribus subeant.

Quanti hic offenderunt, Majestatis fermè in hoc rei, quam apud exteris gentes, nullo sui Principis honore prostituerunt, vel male, vel inutiliter agendo contemptim habiti.

Extra præscriptum Principis quidquid aget Legatus (quantumvis optimè)

mē) Syndicatum se mereri credat.
Illiū est statuere ac jubere; tuum ex-
cipere & exequi.

In dubiis, si tempus suppetit, Prin-
cipem suum omnino consulat: Occa-
siones tamen proficuas præterlabinon
finat.

Liber sit animo, non anxius: præ-
sertim ubi res connexæ sint cùm man-
datis; nec contra illæ, sed pro (licet
improvisæ fuerint) faciant.

Tanto magis, ubi instructioni in-
sertum: Cætera tuæ Prudentiæ com-
mittimus &c.

Nunquam discrepet Legati & Prin-
cipis sensus: neque ulla utrinque in-
tercedat diffidentia, aut negotiorum
occultatio, aut per alium tractatio.

Legatus aut non mittendus, aut
missus revocandus, aut ipsi nihil ce-
landum. Unus utriusque animus, una
vox, unus sonus sit oportet.

Ambiguae tamen inordum instru-
ctionis usus est, ubi super rebus ma-
gni

gni momenti pacta ineuntur, vel mali res exempli & facinoris jubetur.

Id verò hoc fine: si quid perper-
ram atque inconsulto incoptum, aut
indultum esse, postea experientia dō-
cuerit; rescissio jure postulari, & in
Legatum summa verti possit.

Duas agit personās Legatus, suam
& Principis. In publico suam exuat,
& Regis personam induat, cum omni
decore, Cærimoniali, olim consueto
compareat, nec latum unguem hic
prætereat.

Cæterum gentis, apud quam degit,
moribus, cærimonīis, titulis se aptet,
quantum licet & expedit. In Reli-
gionis negotio patrios mores accuratè
observet, nec mutet.

Negotia Legationis sermone ex-
ponat; promissa verò sibi, scripto ex-
cipiat.

Quod verò promittit Legatus, ita
promittat; ut Principi suo facile pa-
teat, si opus sit, evasio.

Secretorum Legationis tenax esto:
tu-

tutoque omnia agito, ne fallaris: imo
potius fallentem fallito.

Tua occule, cum aliorum expiscaris
secreta: modica pande; ut maxima
scias. Sed cave decipulam, ne pra-
dans præderis.

Legationis series & mandata expo-
nenda nemini, quam ad quem mitti-
tur Legatus.

Si interea ille demoritur; non lice-
bit tamen alteri, nisi consulto illo, qui
misit.

Importuno tempore adeundi Prin-
cipem, exiguum conferet emolumen-
tum. Satius expectandum, quam ex
voto non agendum.

Ut invenies Principis animum, ita
vocem & responsa.

Aliis intentum, negotiis obrutum,
festinantem, ne unquam accedas.

Præsens jam Principi, ad quem mis-
sus, caveat Legatus, ne sibi excidat;
sed quantâlibet Majestate coram, sibi
constet.

Præmeditatus effabitur, & integre;
ea

ea tantum, quæ legationis sunt: nec enim alia licent.

Nec addat, nec demat in substantiis: quantumvis quædam meliora viderentur. Obsequium volunt Principes, non arbitrium.

In sedendo, Principis sui prærogativam asserat: Et ubicunque ejus Authoritas pericitatur; ne seperdat Legatus, sed indemniti cautè consulat.

Sine Responsis non facile se dimitti sinat Legatus: minus dedecet negare aditum, quam non dare responsa.

Responsum minax renunciare suo Principi, non in se suscipiat Legatus: & quæ suscepit, si odiosa, ne auget, quia Angelus est Pacis.

Principes modicè respondeant, cætera ad Ministros remittant.

Apud hos sicut negotiorum omnium summa, ita Legato maxima cura, opus & labor, ut officio non deficit, negotiis sit par, cautus, obiectus, sa-

sagax, promptus, totus in toto; nullus sibi; omnis pro Principe, cuius vi-ces portat.

Evidem credo: Legati Principum quales sunt, tales Politicorum nego-tiorum eventus.

Religionis primam in transigendo, si de eâ quæstio sit, curam habeat: post hanc obverset oculis utilitatem sui Principis, quæ unica Legationis totius Lex est.

Mandata quantumcunque libera Legatus obtinuerit, semper tamen ea sic interpretetur: ut pro commodo & ho-nore mandantis intelligantur.

Mandato generali ea non intelli-guntur, quæ peculiare mandatum exi-gunt.

Mandata transgressis Plato sacrile-gium imputavit.

Adeo juxta tenorem Instruc-tio-nis, oportet negotia transigere cum Ministris externis, ut isti videant, Le-gatum Principis sui esse Ministrum, non Rectorem aut Arbitrum.

In-

Interea Princeps forte protelatione utetur, nec respondebit confessim per Ministros; lactabit potius te promissis dubiis, & ex occulto per alios Legatos aget cum aliis Principibus, qui acta tecum, nesciant; inquiret, consultabit.

In ejusmodi commixtis negotiis, ex altissima Sphæra exigo hominem, qui novit hæccè præscire, prævenire, dissimulare, penetrare, opponere, temperare, inque omnem partem ita versare negotium, ut exinde semper sui Principis commodum eveniat.

Sunt qui ante factum sapiunt; qui in facto, qui post factum: Legatus semper.

Eâdem, qua adversarii, methodo procede: Non pande arcana instructionis: occultis viis, & per criptographiam, ac tabelliones proprios, refera tuo Principi machinationes adversas: suggere consilia, aut pete: Interim largire latenter, inquire, intre-

trepidumque te in ejusmodi implicitis monstra.

Indeliberata nunquam reportant famam prudentiae, sed casus & fortunae.

Prudens Legatus nec præcipitat consilia cum periculo; nec cunctatur cum fastidio: Media sequitur, & securitati undequaque prospicit.

Legationes consequuntur foedera: quorum religione nihil antiquius dixit Aristoteles.

Causa originaria foederum est a vi-
rium diffidentia, & majoris potentiae
metu.

Sæpè a dominandi libidine. Illa
defensiva sunt, hæc offensiva.

Ut te defendas, aut hoste fortior es-
se debes, aut fortiores habere amicos
& socios.

Ut multa aliena occupies, vix unus
multis sufficiat.

Adjuvare imbecillum, Charitatis est;
potentem, elationis.

In

In paciscendis fœderibus, etiam viri cauti, dum carent, vix carent.

Qui se arctius, ac multifariis fœderibus implicant, sœpè inviti rapiuntur ad injusta: vel unius ruina periclitantnr cœteri.

Magna intercedunt in utramque partem, quæ suadent fœdera, & dissuadent. Fœdera à multis icta, vix ad finem omnes in fide conservant.

Ubi variæ sunt cupiditates & varii fines fœderatorum, facile perturbations ac suspiciones, imò mutuae collisiones exoriuntur.

Vires certissimæ sunt, quæ propriæ: alienæ vel remotæ, vel tardæ, vel exiguae: vel planè nullæ, ubi periculi afea est.

Principes impares, fœderibus se muniunt, ut potentioribus pares sint.

Æmulatio vix illibata diu, inter pares potentia Principes, sinet esse fœdera.

Qui inter Potentes se medium gerit, nullius gratiam meretur, omnesque offendit.

Qui nemini invisus est, neminem habet amicum: qui neutrius, nullius est.

Nullum vinculum conjungit, magis fœdera, quam omnium fœderatorum vel æqualis utilitas, vel metus.

Unde affulget utilitas, eo respiciunt omnes Principes: ubi imminet metus; omnium concutit pectora, commovetque ad propulsandum communæ periculum.

Fœdera inter Respublicas Polarchicas aut mutuus metus, aut mutua æquitas conservat, eaque reddit firma, ac diuturna.

Fœdera inter Respublicas eadem Gubernationis forma utentes, invicta, æternaque sunt. Specimen hujus, tot sæculis dedere Heluetiorum pagi, semper sub eodem fœdere invicti.

Ea

Ea vero fœdera inter Reges & Res-publicas semper simultatibus obnoxia, raro firma, aut diuturna.

Rex & Respublica natura sua pugnant: ideo dissimilitudo eorum instabilem reddit amicitiam.

Dissidentibus opinionibus, moribus, voluntatibus, dissident etiam opera.

Commune concilium, quod de fœderatorum inter se controversiis judicet, decidatque; est optima illibatorum fœderum conservandorum, & expeditissima ratio.

Cùm hoste communi fœdus contrahere, tantum est, ac infringere fœdus commune: quod maxima injustitia est.

Honeste à fœdere recedit, cui fœdus à sociis non est servatum, aut violari tentatum.

Domitius ad Philippum aliquando dixit: quando tu non me habes pro Senatore, nec ego te pro Consule ha-beo.

beo. Fides si uni non æqua, nec æqua est alteri.

Fœdera semper cum effectu intelliguntur: non satis est ea contrahere, nisi impleantur: fœderari parum est, ubi renuimus periclitari.

Perfidi ac fœdifragi habeantur illi, qui multis technis, & commentitiis prætextibus se suaque consilia simulant, nec integrè fœderatis aperiunt: aut cum hostibus colludunt, digniores proditorum, quam fœderatorum nomine.

Fœdera sancta sunt, si sincera, si iusta, si servata. Armis cæterorum castigandus, qui ea ex prætextu minus sincero, vel ad speciem tantum paciscitur, vel planerumpit.

Bonum est fœdera facere, sed va ei (dicebat magnus quidam Princeps, cuius nomen reticeo) qui ea servat, aut non servat.

Non servando ultorem habet DEUM & hominem: Servando se ener- vat, ut alienas roboret vires.

Experti id olim Albani, Vejentes, Campani, Samnites: quorum nomina scimus: non terras, non gentes noscimus, quia foederum & amicitiae lenocinio illesti, Romanorum Dominium, primitus in se exiguum, subiere.

Adeò foederum periculosa est patatio, & difficilis servandi ratio.

Uni si te conjungas foedere, plures offendes alios: unus offensorum interdum plus damni adfert, quam spei habere potes à multis tibi foederatis.

Aliena defensio nunquam tam sincera, tam efficax, tamque prompta est, quam propria.

Segniter accurunt foederati in tutelam; suas utilitates commensurant expeditioni: aut nova quædam pretendunt, aut vetera non servant: interea labuntur optimæ occasiones, & patitur Justus indefensus, derelitus.

Præcipuum hodie foederum pacificatio-

scendorum compendium est, Æquilibrium Politicum.

Omnis Republicæ carent, ne Reges & Principes sibi multum viribus præponderent, æquamque potius habeant potentiam.

Mutuus metus non sinit mutuam potentiam crescere. Ejusmodi collusatio perpetua erat inter Carolum V. Cæsarem, Franciscum I. Galliæ, & Henricum VIII. Angliæ Reges.

Inter potentes armatos ad illum, quem futurum Victorem existimant, accedunt minoris fortunæ Principes: saepe suo malo fato.

Inæqualium fœderum vix stabile est fundamentum.

Te Potentiori, si coniungas te, aut Cliens eris, aut Subditus. Te opprimet tandem, oppreso altero.

Imbecilliores semper habeant suscepcta potentiorum auxilia. Ad oculum illis, sibi reipsa prospiciunt.

Victoria tua, quam ab hoste tuo obtinebis, subbit jugum amici.

Tunc

Tunc præsertim Potentiorum Auditorias & foedus, debilioribus magis est discrimini, quam præsidio, cum ille se cum tuis aut suis hostibus reconciliarunt.

Naturæ ordinem esse existimant, ut fortior dominetur in infirmiorem. Vero namque verius est, à majoribus alto semper supercilie respici, aut potius despici inferiores.

Romana Respublica per foedera, & amicitias imbecilliorum in servitutem rededit vicinos, & remotiores Reges sibi fecit vectigales.

Ex foederibus crevère Regna, ex Regum Regnorumque confœderationibus coaluere Monarchiæ & Dominatus. An naturæ, vel fati impulsu plurimorum libertas opprimi debeat, ut inde exsurgat unitas imperii, & communis omnium servitus?

Ideo in foederibus paciscendis, non tantum ipsis primis bellorum Authoribus, verum etiam eorum Sociis, utrinque cavendum est consulendum-

que: ne illi vel inter se conciliati bellum adversus hos moveant, vel se ad alios utrorumque hostes adjungant: sicque prospiciatur debilioribus adversus potentiores.

Recte hoc ævo magnarum Potentiarum fœderibus includuntur debiliores Principes & Status. Alias vœ istis!

Illi populi accipiendi in fœdus, & hostibus eripiendi, qui amici plurimum in bello prodesse, vel inimici nocere posunt.

Vires hostium maxime infringit, qui
Socios ab illis alienat.

Multum nocuit Alcibiades Lacedæmoniis, cum ab his Tissaphernem avertisset.

Non modicum attrivit Galliæ vires Sabaudus, ab illa consiliis Cæsar is versus.

Non contemnendi, non perfide tractandi, minus violandi, veteres Socii, cum nova fœdera contrahimus.
Ma-

Magis exulceratur, quo antiquior est fides.

Diffidentiam ne palam ferant Principes in veteres socios, ni experiri velint hostes.

Non qualescunque Socii, sed potentes assumendi: quorum foedus nobis non sit onerosum, sed auxiliare.

Vetus Bucolicorum ad Politicos transivit proverbium: Ante circum spiciendum est, cum quibus edas, aut bibas; quam quid edas aut bibas.

Tecti apud alios esse possumus, sed in foederibus pacta aperta sunt, & clara; non simulata, & ficta.

Simulata & ficta contra fidem & Justitiam pugnant: Obiecta similitates generant, veram pestem confœderationum.

Omnium foederum nullum præstans-
tius est, quam ubi omnium commu-
nis est utilitas, commune periculum,
iidem mores, arma paria, & mens non
dissidens.

Amicitiae, Societas, foedera pares
quærunt, aut faciunt.

Arcanum est ex Sacra Tripode:
Qui tetigerit picem, inquinabitur ab
eâ: & qui communicaverit super-
bo, induet superbiam: pondus super-
se tollit, qui honestiori se (Vatablus
legit, honoratori: septuaginta inter-
pretantur, posteriori se) communi-
cat: & ditiori te ne socius fu-
ris.

Adeo æqualitas sicut concordiae
Civilis est præsidium, ita inæqualitas
fœderatorum pondus est gravissi-
mum.

Societas & foedera cum impiis Re-
gibus facta, & diuturna non sunt, & no-
cent magis.

Græciæ Reguli finalem tulere Ser-
vitutem, & exciderunt suis statibus,
per confœderationes, cum nimia Ot-
tomanorum potentiâ temere susce-
ptas.

Non ita, si magni & dissiti Reges
faciant. Sanè fœdus Gallo-Turicum,

in perniciem Austriacorum pridem suscepit, jam durat perdiu, & profuit multum Galliae, licet nocuerit Christianitati. Nota non repeto.

Ex omnibus fœderibus nullum est, quod difficilius servari valeat, quam quod est inter Imperantem & Subditos.

Nil æquè Principum mentes exulcerat, quam cum suis Subditis, & a quibus injuriam acceperunt, pacisci, aut planè compelli.

Calamitosum hoc fœdus est, præposterum, invisum Cœlo & Mundo.

In Majestatem protervè insiliunt, qui hoc agunt; apud omnes gentes, plus quam rei læsæ Majestatis.

Nec enim Vasallis, maximè Subditis, fœderum faciendorum authoritas cum æqualibus: nec armorum Jus; nec Belli Pacisque authoritas ullâ Gentium, aut Naturæ lege competit.

Quartum fulcrum Politicæ administrationis Opes dixi publicas, quid-

quid contradicat Plato, Chrysippus, Diogenes, & alia severioris antiquitatis oracula.

Plato è sua Republicâ aurum exulare voluit: & eadem Chrysippi & Diogenis mens fuit, existimantium, vim quandam inesse opibus corrumpendi animum.

Accessit usus & experientia, qua nobis perspectum est, arduum plane esse, & factu perdifficile, integritatem mentis servare in magnis opibus.

Lycurgus, cur intersectorum cadavera spoliare inhibuerit? causam edixit: Ne milites ditescant, nevè corrumpantur, & minus fortes reddantur.

Vitia obteguntur Opibus, ut vellmine inopia.

In egestate populus Romanus viator Gentium fuit: vietus suis tam vitiis, quam armis, cum abundaret.

Omnis plenitudo querit exitum:

Mul-

Multis attulere mortem divitiæ , re-
quiem vero omnibus abstulere.

Ita quidem : Viris fortibus , homi-
nibusque privatis vix opus est opibus :
Sed Reipublicæ opus est , ut fortes
bello domique viros opibus foveat , ha-
beatque homines privatos in suum u-
sum.

In omnibus : Opibus est opus ; si-
ne quibus haud quidpiam rectè fieri
potest.

Nunc & olim , rerum nervi sunt o-
pes.

Opes Reipublicæ causa expeten-
dæ sunt : Quia in his sita est omnis po-
tentia.

Posidonius dubitabat , an præstaret
Rempublicam opulentam , an Cives
divites esse ? Resolvit , Rempubli-
cam.

Ego ajo : hos & illam . Cives qui-
dem moderatè : Rempublicam ad o-
mnia possibilitatem.

Quantæ Civibus , & privatis viris
expedirent opes ? sciscitabatur ali-

quando Plato. Sed respondit Aristoteles: tantæ, quæ nec insidias parerent, neque rerum necessiarum inopiam.

Quod ergo ad vitam privatam attinet, non nimias, sed mediocres opes habendas statuit Lycurgus, cum Stoicis Philosophis.

Ethici dixerunt: Opum tuarum non tam abundantem possessionem, quam moderatum usum, querito.

Virtus tibi ante numos sit: nec perstringant fidem boni Viri, nec animum occupent opes.

Cave, ne non illæ tuæ sint, sed tu illarum: neque illæ tibi serviant, sed tu ipsis.

Multò plures sunt, qui habentur, quam qui habent: multo crebriores, quos Propheticus carpit Spiritus: Viros divitiarum; quam, divitias Vironum.

Aurum & argentum, & cætera hujus mundi bona, ad animam non spectant: Nec tamen bona sunt, nec mala.

la. Uſus horum bonus, abuſus malus: Solicitudo pejor, quæſtus turpior.

Felix, qui ſimul opes, & mentem habet.

Tantas autem, ait Stagirita, Principem & Republicas habere opes convenire, quantæ Regno tuendo, & conservando ſufficiunt.

Divitiæ & paupertas, antiqui & magni Reipublicæ morbi! Divitiæ (inquam) illæ nimiaæ in hominibus privatis, quæ inſoleſcere faciunt Cives, & Seditiones invehunt.

Paupertas Reipublicæ, quâ hostibus eſt ludibrio, & ſuismetipsis improprium.

Ex rerum uſu plerumque accidit, ut quæ pecuniarum defectu remota adhuc pericula averti non poterant, in cumbentibus demum malis desperato remedio facile abruerint Rempubli-
cam.

Qui primus pecuniam esse rerum
ner-

nervos dixit; is præcipue ad bellum respexisse videtur.

Nemo Virtute, vel fortunâ maximus Imperator res præclaras unquam bello gessit; si eum, licet artibus militari bus abundè instruëtum, pecuniæ (propria bellatorum instrumenta) deseruerint.

Ex Stoâ planè dixit ille Philosophus: Præclarus esse pecuniâ, quam armis bellare.

Multo quippe commodius & facilius auro argentoque hostes, quam ferro ac viribus, in ipso belli discrimine, sustinentur.

Æstuantem Martem jam multoties aureo imbre attemperavit Jupiter.

Monitum Philippi Macedonis: Hastis pugna argenteis, & omnia vinces.

Experienciam nostro ævo docti: Nihil tam munitum esse, quod expugnari non possit, dummodo Clitellarius auro onus tus illac ascendere valeat.

Tu

Tu autem, mi Princeps, divitias duplii nomine colito: nempe ut a magnâ jacturâ te & Regnum expediās: & (notate Principes) ut tuis parcas, & succurras.

Omnēs divitiæ & opes publicæ profluunt a tuis, & per tuos.

Fontem hunc aperiunt Civium & Subditorum viscera.

Ex illorum abundantia abundat ærarium: illorum sudore nutriuntur Magistratus, Miles, Clerus, Nobilitas, ipsique Imperantes: illorum labore sustinentur omnia incommoda Reipublicæ.

Ubi ærarium publicum omnino de-est, vel est tenue, ac invalidum; ibidem rerum præclarè gerendarum funda-mentum deficit. Unde necessario publicum ærarium habendum est, & illud etiam pro magnitudine Imperii, & cœptorum consiliorumque ratione, copiosum & locuples.

Præter ordinariū Ærarium, quod publicis ordinariis sumptibus est de-
stī-

stinatum, aliud quoque ad extraordinarias clades ac calamitates sublevandas, seorsim sanctèque reservatum, in quaque Republica esse oportet.

Hoc Thucydides asseveravit, ex usu omnium antiquorum Regnum, & Rerum publicarum.

De Modernis palam est: ære omnia agi, ære quæcunque fieri, in bello, pace, domi, & foris.

Ejusmodi Ærarii publici dispensationes eum esto, qui supremam & Regiam potestatem obtinuit.

Ad ordinarium ærarium rectè infertur moneta seu pecunia, quæ dispensatur indies in Sumptus publicos.

Ad extraordinarium tutius laminæ aureæ & argenteæ, ne contredetur aurnm argentumve, in quosvis usus haud dispensabile.

Ærarium publicum instar lienis est: nam ut liene crescent, decrescunt humores in aliis partibus corporis: ita ad plenitudinem conficiendi ærarii ne-

necessè est, ut subditi conferant suas vires possibles.

Eatamen ratione, ne planè tabe scant,
aut intermoriantur.

Odit communis Sálus eos pastores,
qui nesciunt oves tondere sed deglu-
bere.

Odit eos olitores, qui una cum
herbis ipsas radices & stirpes evel-
lunt.

Odit eos Principes, quibus Subditi
lachrymantes, & ad extremum deso-
lati, implere coguntur æraria.

Tiberii (pessimi quidem Principis)
assertum optimum: Adúltérinum est
aurum, quod ab exhaustis Subditis,
per injustas exactiones corraditur.

Fisci nunquam est mala causa, nisi
sub bono Principe.

Tributa, sicut omnium Gentium
jure ac usu fundari firmari: ita nil
magis libertati contrariari, si nimia
sunt, vero verius est.

Ex tributis rerum sordidarum &
minutiarum, fames illa auri immensa,
quas-

quascunque Regias Virtutes obſcuro
velamine obducit, ut ideo optimus e-
tiam Princeps videatur esse pelli-
mus.

Limitaneæ provinciæ, hostibus pe-
riculisque expositæ, tributa nec ferre
possunt, neque dare volunt. Hoc o-
lim Frisios & Illyrios subtraxit Roma-
no Imperio.

Præter solita tributa, amplius indi-
ctæ decimæ, vigesimæ, centesimæ,
capitationes; plusquam ipsa supplicia
perstringunt animos popularium.
Hæc luunt pauci, illæ omnes contin-
gunt.

Rerum mobilium, quoties vendun-
tur, decima, exhaustit pedetentia
brevissimo intervallo sortem & preti-
um rerum, ut postea reassumere mer-
catum vix concedatur.

Intervertuntur insolitis vectigalibus
commercia, unicum in omnibus fer-
mè Urbibus civium alimentum.

Errant, qui putant, aeraria
publica augeri ex tributis insoli-
tis.

tis. Dic: Semel aucto, deinde exhausto ærario, an reparabunt illud homines obærati, inopes, exhausti?

Ex gravibus impositionibus nunquam exspectent Regnantes diuturna compendia, sed Regnorum ac Statuum extremam egestatem, & longam calamitatem.

Ibunt ad finitimas gentes commerciorum commoda, relicta vobis domi, & hominum solitudine, & opum paupertate.

Si vos, ô mei Principes! Themistocles eritis, & pro exigendis tributis comites habueritis Deas Svadam & Violentiam: cogitate vestros subditos Andrios esse; qui, ne tanta contribuant, duas etiam advocatas habent Deas, paupertatem, & impossibilitatem.

Pauper dare nequit: & impossibileum nulla est obligatio.

Paupertas in desperationem prolabitur, & impossibilitas in contumaciam.

Hor-

Horret animus ad tantas, à primâ tributorum institutione, in hæc usque tempora, ac toties recidivas ex desperatione populi tragœdias, seditiones, Regum Regnorumque præcipitia commemorare.

Subticet nomina calamus: quia omnia propè Europæ Regna, primis & novissimis ævis, sua exempla domi habent, quæ abhorreant.

Credite: Qui suam jacturam irreparabilem vident, amissis rebus; nec ad pericula pavent, nec vivere aestimant. Terribilium terribilissimum est furor populi.

Nullum è Cœlo infortunium, nulla ab hoste clades, ita populum commovet, quam immodica tributorum & vectigalium, per pœnalia edicta, postulatio.

Et sanè in Belgio, in Lusitaniâ, in Neopolitano regno patuit, quām acre telum ad rebellandum tributa sint, cum graviora populis aliunde commotis imperantur.

Optima publicarum augendarum opum ratio est, ipsa Parsimonia Principis; administratio recta bonorum Coronæ, luxus publici & privati abolitio, libertas commerciorum, mechanicarum artium instauratio, moderatio fœneratorum, integritas monetæ, & conservatio pacis publicæ.

Hæc & plus & justius cumulabunt ærarium, quām quæcunque monopolia, aut imposturæ fœneratorum.

Omnigenis superabundabit divitiis Respublica, cuius Princeps magis cum Salomone amaverit Sapientiam, quām avaritiam.

Relegatis ab Aula (cum Marco Aurelio) adulatoribus, parasitis, lenonibus, fœminarum prostibulis, sat bene habebit ærarium, cuius ejusmodi turpis sex ipsam medullam exsugit.

Lugent & exsecrantur Subditi, quorum labor, sudor & sanguis ad inania convertitur.

Omnibus tollere, & dare uni vel paucis, dolor & luctus est universorum.

In-

Injustum est, quod dissipavit prodiga, repetere avarâ ab innocentibus manu.

Per scelera rursus replent ærarium, qui illud evanuant per scelera: & sequuntur largitiones immodicas, rapinæ.

Publicis necessitatibus debentur publicæ opes.

Credant Principes, quo minus rem nummariam, cum Henrico IV. Franciæ Rege, considerint privatis hominibus, tanto magis abundabunt illæ.

Res bituminosa est pecunia: rarijs, rarisque contrectata manibus, minus inquinat conscientiam, & non facile lædit publicum.

Regias nequaquam dedecet manus, quandoque tractare rationaria publica; quæ primus olim Orbis Monarcha Augustus (quo nemo nec amplitudine Imperii, nec abundantia rerum major fuit) in singulos annos ipse perlustravit.

In Deum remque publicam peccant
Prin.

Principes qui publicas Subditorum opes, vel unius administrationi absolute, vel pluribus sine delectu committunt.

Exigit munus hoc Viros integros vitâ, ac jam tantæ ætatis, cui parsimonia naturaliter adhæret.

Nimis potentes, locupletes, & difficilis censuræ Viros vix sine periculo huic muneri adstruis, sicut & inopia magna laborantes. Hos ad rapinam ipsa tentat inopia; illi vero præscripte se putant, quasi non egerent, cum maximè rapiunt.

Médios velit Princeps inter magnas divitias, & communem pauperiem. Sed præcipue eos, qui in privata vita præluserunt, quid acturi in publica. Qui suam domum non recte regit, nec reget unquam alienam rectius, aut publicam.

Unicam adhuc subjungo: Ubi Crimen peculatus ignoratur; aut nimis bene, aut pessimè subsistet Respublica.

Stabilita jam fulcra, cui omnis ini-

nitur Principatus: Religionem videlicet, Justitiam, arma & opes vidisti Princeps!



CAPUT TERTIUM.

De Virtutibus Regiis.

JAm, si Laconi liceat Virtutes Regias rectè exprimere, te formabo.

Ab affabilitate ordior, quæ apud Summos & imos non quidem eadem, eosdem tamen parit effectus, Amorem, videlicet, universorum, & benevolentiam.

Reciprocus affectus amor est, amat & redamat, nec scit amare, nisi amatus.

Princeps qui se affabilitate alloquii, & popularitate morum omnibus communicat, omnes se reddunt illi.

AMO-

Amore & affabilitate nundinanti multiplex obtingit lucrum.

Carolus V. conciliabat sibi milites Hispanos inclinatione capitis; Italos tactu humeri, Germanos exhortatione dexteræ ad osculum, omnes innatâ Austriacis affabilitate.

Delicium suorum fuit, & tamen terror hostium, ubique Eccliypon Regii decoris.

Philippus II. convictos audiebat patienter, respondebat clementer, tractabat humaniter, condemnatos solabatur, delicta, non homines multans.

Absalom, afflictos præ foribus Regiis præstolans, excipiebat benignè, & ut Sacer textus perhibet: Solicitabat corda virorum: (Hebraei legunt: ex cor-dabat filios Israel) Ita nimirum affabilitate alloquii sibi parabat aditum (licet præmature) ad paternum Solum.

Affabilitas non minuit reverentiam, nec conditionem: non generat con-

temptum, nec odium: non tollit æstimum nec obsequium. Quia affectus vincit affectum, qui nescit obsequi nisi ex amore, nec revereri, quam sponte.

Palmaris error est existimantium, affabilitatem alloquii, frontisque aperiæ adversari decoro Regio.

Hitales male sibi conseui, verentur publicè taxari, aut vilipendi, quia morosi.

Altum supercilium non semper suscipitur, saepius despicitur.

Tarquinius, sentina omnium scelerum; superbus tamen solummodo appellatur: quia populus magis abhorret à fastuo, & tumido Principe, quam à scelerato..

Paria & majora commiserunt alii Imperantes, ante & post Tarquinium; nemo tamen tam graviter præcipitus: quia nemo magis ob tumiditatem suam tam populo invisus fuit.

Affabilitas multos compescuit Regicidas: multos in Solio sustinuit Tyrann.

rannos: plurima cooperuit indigna in
Regum moribus.

Vocem vultumque affabilitatis ex-
cipiunt liberalitatis manus. Vota si-
ne opere sunt inania, & Vox sine ma-
nibus.

Non solum longas manus habere
debent Regnantes, quibus remotissi-
mos trahant in supplicium: sed eti-
am largas, queis abunde succurrant
miseris, & Virtuosos foveant.

Cum bis vicies mille in amicos pro-
fudisset Augustus, dixit ad Tiberium:
Manus meæ ad porrigendum erogan-
dumque usitatissimæ.

Liberalitas propriæ Virtus Regia, &
Regum quædam specialis Justitia est,
quæ communi egestati providet, & me-
rita compensat.

Virtutem illam dico, medium inter
duo Solii Regii indignissima vitia, ava-
ritiam & prodigalitatem.

Liberalitas nec injusta rapit, nec ne-
cessaria prodigit: erogat quod potest,
non super vires.

Qui multis donat, non multum donat: qui multa donat, non diu donat.

Exhauriuntur fontes, & aquæ in plurimos rivos divisæ.

Singuli nunquam exsatiabuntur: Res publica prius deficiet.

Nihil largiendum, etiam meritissimis, si auferendum est egenis, aut innocentibus.

Virtus Virtutem destruere non debet.

Ad privatos spectent tria illa, quæ Alphonsus Rex ad conciliandos homines olim statuerat.

Vas nimirum vini, galerum capitis, & unum chartæ risma. Vinum, ut adventanti porrigant hospiti: Galerum, ut deponant sæpius transeuntibus in reverentiam: & chartam, ut scribant rescribantque amicis.

Alia manent Principes, quibus sui populi in se suumque Regimen promptam inclinationem & amorem excitatunt.

Principum benevolentia in omnes, secundum quod expedit, & possibile est. Hac se Principes quasi Deos redundunt hominibus; quia divinum est dare, humanum accipere.

Melius beneficiis Imperium custoditur, quam armis. Amor Civium, liberalitate productus, tutissimum satellitum est Regnantis.

Obmutescunt thesauri reconditi; ubi aperti, divulgent famam Principis in extrema Mundi.

Homerus Solem finxit centimanum: talis esto Sol in Solio, Princeps beneficu*s* in omnes.

Si largitione semper nequit; suppleant bona consilia, promissa, & saltem bona verba. Tristem denique subditum a te nunquam dimitte.

Secundum benevolentiae adminiculum est, si cum Civibus tuis, quasi parentis cum liberis vives: Si patentiam mediocriter ostentabis: Si nec reverentiam terrore, nec humilitate amo-

rem captabis: si partitionem exiges,
non servitutem.

Rex esto, non dominus: non ser-
vos, nec dominationem; sed Recto-
rem te, & Cives tuos cogita.

Tertium ad captandam benevolen-
tiam populi, est Clementia, quæ suo-
rum non sinit sanguinem; Cœlum-
que imitatur, quod sæpius coruscat,
quam tonat: & si quandoque tonat,
semper non tamen fulminat.

In primo cataclismo omnia viren-
tia absumperat divina Nemesis, præ-
ter unicam Olivam, Clementiæ sym-
bolum: quam columba suo Domino
Noëmo novum Mundi Imperium cœ-
pturo, prætulit.

Ut vel inde posteri Imperantes di-
scant: Novum (& quodcunque) Im-
perium occupantibus, utilem esse Cle-
mentiæ famam.

Nihil magis in amorem commovet,
etiam perfidorum hominum animos;
quam si ex sola fama noscant, Cle-
men-

mentiam in Regno imperare, præ vindictâ.

Qyantos illa reduxit à latrociniis, ab hostibus, à seditionibus, à perdita vita, ad meliorem frugem, fidumque obsequium.

Semper reminiscuntur, ferae etiam, non solum homines; eorum, qui sibi saluti fuere.

Divinum quoddam opus est, pœnitentes recipere, vel ulla re Imperantes proprius ad Deum accedunt, quam salute hominibus danda.

Omnia quidem scire Principem oportet, non tamen omnia resequi.

Parvis peccatis veniam: magnis moderatam pœnam statue, nec pœna semper sed sæpius pœnitentiâ contenter.

Interdum dissimula: & malueris videri invenisse bonos, quæ fecisse.

Nihil refert, si ad Clementiæ commodum, Princeps interdum translat Justitiæ Vindicativæ terminos, dummodo citra periculum status: quæ

exceptio omni exceptione semper major est.

Male suppliciis benevolentia populi quaeritur: longeque valentior in animis Subditorum est Clementiae fama, quam pœnarum terror.

Ad hoc ad hoc connitere sedulo, mi Princeps: ut amorem apud populares, & metum apud hostes habeas.

Quantum Benevolentiae popularis incitamentum est Beata illa Civium vita, quæ resultat ex abundantia publica, & permissione aut conniventia quarundam rerum, queis redditur facile, dulce & moderatum Imperium.

Firmissimum namque imperium est, quo obedientes gaudent.

Populo autem nec quidpiam latius esse potest, quam abundantia: rerum copia sit, quæ sunt necessariae.

Fatigari non vult plebs annona sive defectu, sive caritate.

Laudatissima Plinii ad Trajanum apostrophe fuit: Urbis annona, tuis opis

opibus, tua cura, usque illuc redundavit, ut simul probaretur, & nos Ægypto posse, & nobis Ægyptum carere non posse.

Ludi publici, spectaculorum oblectamenta, minuunt fastidium praesentis Imperii, nec aspirare sinunt ad aliud, aut conspirare contra hoc.

Voluptatibus (testatur Tacitus) Romanos plus adversus subjectos, quam armis valuisse.

Moderata onera, tributa, jussa, minus in modum firmant Subditorum fidem.

Ingrata imperantibus, ægre currit in obsequium Populus.

Indulgentia quoque antiqui moris, immunitatumque veterum, faciet Subditos Zelosos purpuræ tuæ cultores.

Uti Solem umbra, sic indulgentem consequitur Principem Amor populi.

Cave attamen, ne indulgentiam comitetur licentia; & antiquos mo-

res nova liberalitatis insolentia corrumptat.

Augustus in sua vota flexit Populum annonæ abundantia, militiam stipendiis, omnes dulcedine otii & pacis.

Augusti antecessor Julius Cæsar fastu suo contrarium dedit exemplum, sibi odium apud Populum; apud Patritios plane necem conscientis.

Otium autem in Republica illud arbitrare, quod ad honestam voluptatem, corporisque quietem spectat. Alias nihil agendo homines male agere discent.

Rem complectitur ipse apud Isaiam Prophetam regum Rex, ubi tria, veluti amoris reciproci illecebras, suo populo promittit.

Sedebit populus meus in pulchritudine pacis: in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.

Primnm securitatem internam indicat, quam habet Populus ex mutua
ja-

inter se concordia, hancque obtinent ex Justitiâ & æqualitate Imperantis.

Secundum denotat pacem externam, quæ ipsa benevolentia Populi erga Principem stabilitur.

Non sic excubiæ, nec circumstantia tela, quam tutatur amor; nec infestatur facile, quem sic amant.

Tertium indigit abundantiam rerum omnium, cuius prima cura esto Principis. Hoc magnete trahe animos, & invicibilis eris.

Denique ab eo, quod placeas Subditis tuis, omnium actionum tuarum efficacia, securitas & eventus dependet.

Præfatæ Virtutes populari benevolentia dignæ sunt; sed omnium Virtutum splendidissima est in Principe fides.

Sine fide omnes cæteræ Regum ac Principum Virtutes caligant.

Fides summa est summarum rerum firmitas, & inde stabile & æternum

facit Imperium, & Principem Imperio dignum.

Fundamentum Justitiae est fides; dictorum, conventorumque unica anima Constantia & Veritas.

Neque ulla unquam res magis vehementiusqne continet Rēpublīcam, quam inter ejus membra inviolata fides.

Fidei perpetua est comes nivea illa Simplicitas, quæ duplicibus non vergitur.

Omne ingenium multiplex actor tuosum rectissima & sanctissima fides aversatur.

Fidelitatem non aliter sejungimus a fide, quam sicuti effectum à causa.

Fides in secreto mentis residet, fidelitas in eo, quod agitur, apparet.

Fides, ne corrumpatur, excludit omnia commoda, & quidquid mercenarium est: nec curat catastas, nec cuncta adversa, dummodo in se subsistat.

Sibi merces est ^{et} unica gloria, quod nul-

nulllo lenocinio, nec tormento frangatur. Multos illa immortales redidit, fama apud posteros æternæ gloriæ.

Antiqui omnes, præter barbaros, fidem colebant ut DEUM: ut vinculum amicitiæ, ut nervum Justitiæ, & ut gluten humanæ naturæ reverebantur.

Utinam nunc etiam hæc de fide foret mens hominum. Sed, quod vehementer dolendum, per pauci hanc Deam adorant, & circa hoc naturæ & humanitatis Numen maxime est hominum infrequentia.

Laudatissima res est, cum aliis omnibus, tum Viro Principi: se videlicet talem cognosci, qui fas fidemque servet.

Liberrimus omnium Deus, nullius iadigus, à se, & independens; nihilominus fidei se submisit, ut sacer testatur Vates: Erit Justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium tenum ejus.

Principes & Reges non solum obligantur ad manutenendam fidem publicam, ex lege naturali, sed etiam ex munere Regio, quia dant & recipiunt fidem.

Ex nullo accidenti magis alterantur populi, milites, subditi, quam cum se à suo Regnante deceptos vident & experiuntur.

Assertum Regis Alphonsi est: tantum valere debere Principum Verbum simplex, quantum privatorum hominum Jus jurandum.

Turpe est, fidem fallere, viro privato; in Regibus longè turpius, quos ex effato divino, plane non decet labium mentiens.

Rara tamen per hæc tempora fides: vix alia illius, præter verba, substantia.

Ipsi Regnantes, cum tot hominum millia Imperio regant, vix saepe unum reperiunt, cuius fide niti possint.

Fides inter civiles discordias fluctu-

at,

at, & reperitur nulla, ubi omnes diffidentia regit.

Quotidie disrumpuntur foedera, Societas, ac ipsa Jura sanguinis, ex utilitate magis, quam ex fide aestimata.

Nunc qui foedera rumpit, ditatur: qui servat eget.

Negligitur jurata Principibus fides & obsequium, honosque patriæ, divisus in seditiones & rebelliones partibus.

Miseris & calamitosis parum fidei inesse, non semel repertum est.

Quæ deinde in magna hac passim malorum multitudine, sincera mens, fides, & fidelitas?

Solet etiam tarda magnis rebus inesse fides.

Facile promissa concidunt, quæ exigere liberum non est, sed periculose.

Sæpe fit, ut fides, & societas deferratur potentiorum metu.

Raro jam mortalium pectora ita fide

de obiecta sunt, ut in adversis & periculis, contumacia in fide perseverent.

Integra nunquam manet fides, ubi magnitudo quæstuum spectatur.

Denique uti nihil preciosius, nihilque firmius esse debet: ita exilius quidpiam, aut fragilius hoc ævo non est, quam fides inter homines.

Verum fides violata, cuicunque fuerit data, tandem à DEO punitur.

Nihil reliquum quod perdat, habet, qui fidem Viri boni amisit: dixit Ethnicus Philosophus.

Sed amplius Sacrae litteræ: Væ dupli corde, & labiis scelestis.

Os quod mentitur, occidit animam.

Hæc poena quidem Spiritualis & æterna est; sed temporalem ferunt quoque fidei violatores.

Impossibile est enim, injustum, perjurum & mendacem potentiam firmissimam retinere: ait Demosthenes.

Suffragatur Veritas è Cœlo: Non
men

men impiorum putrefaset. Cessare facit DEUS memoriam eorum à terra. Nulla hæreditas peccatoris.

Accedit, quod divina Justitia communiter in fidei violatione Talionis poena utatur.

Jus enim exigit, sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis.

Henricus III. Franciæ Rex, contra fidem datam, eximum optimumque Ducem Guisium ad se, specie consilii vocatum confessim obruit, & sicariorum manu confecit, ipse post septem menses (ut factum) à pauperculo Monacho, vix alio quam à divina Nemesis instructo, ex inopinato conficiendus.

Sic sæpe in Magistrum redierunt scelera sua.

Primus homo, qui fidem violavit, totam naturam humanam pessum dedit, & mundi delicias convertit in spinas & tribulos, servus peccati ex imperatore Mundi factus.

Ideo

Ideo data fides omnem deliberationem excludat.

Cum quocunque est facultas pacificandi, illi ipsi est etiam fides servanda.

Si licitum fuit pacisci, æquum quoque est obligari.

Etiam si fides toto orbe exulet, Reges tamen illam teneant, qui nullo metu, nulla poena, nisi Virtutis & fidei reverentia, ut eam præstent, cogi & adstringi possint.

Ipsis hostibus legitimis, si hi eam servant, nefas erit negare fidem.

Non in omni Victoria honestas est: & ipsam, nisi honestate quæsitam, victoriam turpem reputa.

Omnes Principum actiones comitari debet quædam Magnanimitas, & contemptus vilium consiliorum.

Parmenioni quædam præter decorum Regium, puritatemque fidei suadenti, reposuit Alexander: Agerem id quidem, si Parmenio essem, verum Alexandro neutquam licet.

Verum an non expedit interdum, fallere fallentem, fraudemque repellere fraude?

Vetus illa Naturæ regulâ: æqua mensura remetiendum, qua mensum fuit. Jus Gentium voluit licite offendit illum, qui prior illicite offendit.

Verum rursus aliud est, teneri hosti servare fidem: aliud, hostem circumvenire fraudibus.

Ubi fides hosti super re certa & particulari datur, omnino servanda est, donec ille servet: Connexorum quippe una eademque est ratio: secus inseparatis.

Hosti foedifrago, saepiusque temeranti fidem, si desuper conveniat, minime fas erit contravenire conventis, nisi per hostem stet, quo minus contractorum fides servetur.

Idem arbitrare circa hostes privatos, & non legitimos; quales sunt prædones publici, subditi rebelles & factiosi.

Stante siquidem inter te & hos Conventione speciali, ad fidem solam, quæ anima est illius, attende; & non ad ea, quæ Conventioni extrinseca sunt.

Alias, ubi specialiter conventum non est, tam hostem qualemcunque vi aperta offendere, quam pet fraudes decipere minime iniquum est.

Dummodo bellum justum suscipiatur; aut aperte pugnet quis, aut dolis & circumventionibus, nil ad Justitiam interest.

Ipsa æterna Veritas præcepit Josue: ut post habitatores Hæi insidias poseret.

Publicæ utilitatis ratio non vincit honestatem, nec fidei sacramentum rescindere valet.

Malus suasor Principum est Sparta Clearchus ille: qui Regnibus ad ea, quæ concupiscerent, expeditissimam indigitavit viam, si fidem fallerent, si pejerarent, si mentirentur.

Errant, quibus id, in quo violatur æquitas, non magnum; illud autem, quod

quod ex eo paritur, permagnum videtur.

Errant, qui fidem dictis nunquam praestant, nisi expediat.

Apagē cum peste hac Veritatis! illud vero ex Sacra Tripode crede: per injusticias & diversos dolos Regna everti.

Summa dementia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus es.

Fraus cum omnibus fœda est, tum vero iis, qui majori dignitate prædicti sunt; immo fœdior, quam injusta violentia.

Quia vis jure potentiae, quam fortuna dedit, infertur: fraus vero ab insidiis injusti propositi grassatur.

Bonus Princeps rerum potius justuram subit, quam bonæ fidei.

Rudolphum imitare Cæsarem: is sicario se in necem Ottocari, qui Cæsaris maximus hostis fuerat, offerenti, respondit: Etsi hostis est Ottocarus, minus

nus tamen efficiet, ut prætergrediamur fines Justitiae.

Nonnunquam tamen (ait quidam ex Patribus) contra officium est, fidem servare.

Promissa servanda non sunt, quæ non sunt his, quibus promisisti, utilia; nec si plus noceant illi, cui pollicitus sis, quam profint.

Multa invertit lapsus temporis, casusque adversi, ut quædam minus salutaria fiant, quæ olim fuere salubria & utilia.

Injusta promissa sub obligationem non cadunt.

Agesilai responsum nota: Si justum est, quod petis, faciam: sin minus, ne quaquam faciam; non enim promisi, sed dixi.

Decet quippe petentes, ut ea tantum à Principibus efflagitent, quæ sunt justa & honesta: Sin minus; satius est promissis non stare, quam peccare in leges Justitiae.

Aliena

Aliena promittere cū damno tertii, non meretur fidem; quia id non minus injustum est, quam inauditum condemnare.

Quod prius negare valebas precantti, id postea sine turpitudine, si promisisti, rescindere nequibus.

Coacta promissa, quæ sine jactura magna exsolui non possunt, vix subsistunt, quia libera non sunt.

Quod contra Deum, animam aut Religionem promissum creditur, vinculum iniquitatis, non fidei est Regiæ.

In turpi promisso muta decretum: incaute pollicita ne facias: turpis est omnis promissio, quæ scelere adimpletur.

Promissa nimia dubiam arguunt fidem. Plerumque primum jactata fides, violatur posteà.

Promissa ambigua fraudibus ut plurimum sunt obnoxia: diffide illis, non fide.

Promissa à Principe expracticata, quæ ex intervallo vergere noscuntur

L

in

in contemptum & fraudem Principis, Religionis, vel salutis publicæ, vim fidei obligantis nullam obtinent.

Sic Philippus II. contra fidem prius datam, noluit deinceps Belgium evacuare milite Hispano, cum comperisset, id ab Ordinibus eo fine à se expracticatum suisse, ut meditatam seditionem tutius inchoarent.

A Nullum ~~enim~~ vinculum ad adstringendam fidem, jure jurando majus artiusque est. Quia diras imprecations continet adversus fallentes.

Jus jurandum antiquis Jovis jurandum sicut; hoc per summum quippe DEUM concipitur.

Juraturi ad aras accedebant, & tres Deitates invocabant: Jovem, Apollinem, & Themidem. Jovem ut Jurandi exactum judicem & arbitrum: Apollinem ut Solem Veritatis, quam anima & unicus spiritus est Juramenti: Themidem Justitiae præsiditricem, quia Juramenta ex Justitia obligant.

Igi-

Igitur Jusjurandum hos habeat
comites: Judicium, Veritatem & Ju-
stitiam.

Si ista defuerint, nequaquam erit
Juramentum, sed perjurium.

Jure jurando firmatur inter Regnan-
tes Pax, inducīæ, fœdera: præstantur
homagia à Subdito Imperanti: Stabi-
liuntur Regnorum leges fundamen-
tales, per jurata promissa Principis suis
Subditis.

Viri Principes malint Veritate, quam
Religione fidem suam obligari, ut non
minor sit in verbo Regio authoritas,
quam in juramenti notula, aut Capi-
tulationis formula.

A jurato non plus accipitur, quam
si simpliciter à bono viro promitti-
tur.

Qui fallere non erubescet, nec juras-
se erubuit.

Probis viris, Principibusque non
juratis credo; levibus ne juratis qui-
dem.

Morum probitatem Jurejurando firmorem habere oportet.

Apollodorus ajebat: Qui Juramentum à malo vīro postulat, insanit.

Thales dicebat: Qui audet dare venenum, audebit & eum perjurio inficiari.

Pejerare paratus, jām perjurus est; quia DEUS magis mentem, quam os judicat.

In dolo jurat, qui aliter aget, quam promittit: cum perjurium sit, nequiter decipere credentem.

Juramenta interdum vindictæ, & perversi animi velamenta sunt; non Justitia, sed ejus praetextus.

Quod Rex David Juramentum, per sanguinis effusionem, non implevit; major pietas fuit, quam Juris jurandi religio..

Inciderat pius Rex in jurationem temerariam; sed maluit non facere quod juraverat, quam injustum votum fuso sanguine adimplere.

Nulla Juris jurandi religio erat; cum Hero-

Herodes primum Novi Testamen-
ti Phosphorum decollasset, sed libi-
dinis fuit merces, & vindictæ palliata
rabies.

Non malum exequere, quod jura-
sti; sed culpam fatere, quod male ju-
raveris.

Numini illudunt, qui jurando ho-
mines circumveniunt.

Odit tenebras Sol veritatis; & sa-
cra Themis prætextus & colores non
admittit.

Fœdera illusoria, conventa ambi-
gua, pax speciosa, promissa cavillato-
ria, per jusjurandum non redundunt
justa, sed sacrilega.

Cleomenes Argivis septem dierum
indicias ore pactus, noctes mente re-
strinxit, & nocte tertia, cum sopitos
suique securos vidisset, interemit o-
mnes, dictans: de Diebus pactus
sum, noctes non additæ sunt in jure
jurando.

Apposite Aristoteles ad Alexan-
drum: Jusjurandum si quis extenu-
are

are voluerit, convincitur credere: facinorosos à Diis non cerni, neque sacrilegos puniri.

Ita nimirum haud pauci DEUM prostituunt, qui illum doli, fraudisque testem volunt.

Nihil obstant sacræ diræ, nihil Jurisjurandi religio male volentibus.

Ubi fides mentis deest, actum de similitate erit operum.

Rectè Numa maximum Jusjurandum Romanis statuit fidem.

Justosaque, ac bonos Principes deceat, ut ad Conventa, & publicorum negotiorum tractationes, eos mores adferant, qui sunt Jure jurando firmiores.

Benevolentiam populi, ac promissorum fidem, consequitur Authoritas Imperantis: imo per illas hæc comparatur.

Nihil potestas imperiumque Regnantium valebit, nisi prius valeat Authoritas.

Au

Authoritas comparata apud Subditos, arbitratur absolute in omnia sine repulsa, sine murmure, ubi, quid, quantum, & quomodo cunque velit.

Majus tali Principe, & excellentius, excelsiusve, vix sub Cœlo datur.

Authoritas Principis est Colossus ille, qui difficile evehitur, evectus difficilius stabilitur, nisi fundamenta ponat magna Virtus, magna fortuna, magnus animus, & maxima fama.

Omnia, quæ conspicuum aliquem reddunt in oculis hominum, in funda-
dæ Authoritatis Regiæ compendium apprime conducunt.

Vetustate imperii coalescit existimatio, & longævitate Regiminis præscribit Princeps ut magnus, ut sapiens, ut Pater patriæ dicatur.

Private fortis homines aliud nihil in quibusque suis actionibus, quam quærant commoda sua.

Principum longe diversa sors est: his quæque ut in gloriam, famam,

eximationemque cedant, necesse est.

Amor populi in Principem, hujusque authoritas, hoc unico differunt: quod ad amorem sufficiat mediocris Virtus: authoritas vero non firmatur, nisi ipsa Virtutis excellentia & perfectione.

Quævis namque Virtus eam beatitudinem in se continet, ut amabilis & desiderabilis sit: ejus autem apex & perfectio existimationem quasi imperat, & reverentiam; ex quibus condatur Authoritas.

Regna & Imperia adminiculative conferuntur amore; sed existimatione, fama, & authoritate principalius.

Hoc enim olim sine Reges creatus, ut Jura dicant populo, ut imperent regant, tueantur, salutemque procurent omnium; quod secus, aut citra opinionem maximam de illis conceperat, haud fieret.

Famæ inserviat, quisquis ad magna
aspi-

aspirat: illa in novis cœptis validissima est.

Agricolam imitare, qui famam supra vitam extollebat, non ignarus, prout prima cessissent, fore universa.

Modestia, clementia, beneficentia amorem: Religio, pietas, probitas bonique mores reverentiam: Magnificentia, fortitudo, artesque belli & pacis existimationem: hæc autem simul omnia authoritatem conciliant Regnanti.

Hanc verè augebunt quædam particulares regulæ, quos si Imperans sequitur, imperabit cum auctoritate maximâ, diu feliciterque.

In lingua ejus sapientia dignoscatur, & sensus & sententia: & sermo illius potestate plenus sit, & imperatoria brevitate.

Gravitas morum sic comitetur Principem, ut illi nec rigidi videantur per arrogantium, nec sordidi per avaritiam, nec despiciant suos proceres per

superbiam, nec ex conversatione, & familiaritate infra Regiam dignitatem, contemptum sibi pariant.

Credant Regnantes, se velut lumine
nare majus semper conspicere & obser-
vari, suasque actiones in exemplum
trahi.

Plebeja ingenia exemplis magis,
quam ratione capiuntur.

Sepi aures tuas spinis delatoribus,
adulatoribus, susurronibus : Lingua
quippe tertia, multos commovit, &
dispersit illos de gente in gentem.

Vanesceat Augusti honor, si promis-
cuis adulatoribus vulgetur.

Argentum & pecunia est commu-
nis omnium posseditio; at vero quod
honestum, quod virtuosum est, & ex
eo laus, & gloria, DEorum est, ait
Polybius, aut eorum, qui Diis proxi-
mi censentur, quales sunt Principes &
Potestates mundi, quorum prima en-
comia, & authoritatis patrocinia sunt
virtus & honestas.

Semper idem vitae tenor, ac inter
utri.

utriusque fortunæ angustias & favores retentus animus, fidesque metu infracta, admirandum plane reddit Principem, & intempestiva quæque suorum coërcet.

Extrema fuge, atque ex potentia legibus malis media, quam nimia. Omnis quippe rerum perfectio consistit in medio. Extrema inclinant, superflua nocent, nimia vertuntur in vitium.

Impotentiam sui nunquam edat Princeps, nisi periclitari velit sui æstimium. Vel duntaxat, si naturam suam moderari nequit, habeat ejusmodi ministros, qui publica negotia neglegmate, magis quam Spiritu Eliæ expediant, suppleantque sui impotenter Principem.

Continuus aspectus minus, è longinquo autem magis, verendos facit Regnantes.

Utrumque extremum est, vel nunquam videri, vel semper. Obvia vix

æstimantur, licet pretiosa: rara, quamvis obvia, in pretio suut.

Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur: Principes humanitatis; Subditi obsequii.

. Aut necessitas, aut utilitas publica, aut Justitia, & pauperum mœrentiumque miseratio, aut Religio, aut pietas, aut publici officii ratio, aperiat auditum ad Principem, ut accedant & tangant sceptrum Subditi, cui debent obsequium.

Tibi derelictus est pauper: Orphano tu eris adjutor.

Alienum longe à te sit, mi Princeps, ut uni tantum ex omnibus additus vivas; sed te ipsum omnibus, tanquam per vices, partire; palam faciens, unum te esse, ad quem referri omnia, & velis, & debeant.

Major inde Principi gloria, & æstimatione dignius, si noverit ipse potius Status transigere negotia, quam per interpretem.

Retrahant se imperantes scurris & adul-

adulatoribus; non iis, qui vel Reipublicæ, vel Juris ergo suspirant faciem Principis.

Occulti suorum arcanorum Principes magis suspiciuntur, quam qui recludunt pectus, omnibus faciles & nudi.

Vias Regnantium quis intelligit? Consulto sint illi ambigui, & premant magis, quam divulgant sua. Arcanorum æqua reverentia est ac suspicio.

Nec arcana domus, nec amicorum consilia, nec machinamenta militum unquam vulganda.

Imo sapienti Principi non sine usu fuerit, intromiscere omnia, nihilque sibi incognitum velle: & minutissima quæque in materia Status expendere, ex quibus magnarum sæpe rerum motus oriuntur.

Magna authoritatis accessio Principi est ex metu, sed non illo, cuius fomenta insufflat crudelitas, usurpatio,

injustitia: verum qui progignitur ex
veneratione & reverentia.

Vereri debent Principem Subditis,
non detestari. Virga & baculus Da-
videm Regem consolata sunt: ut ipse
testatur. Virga Justitiae castigabat
eum, sed baculus Providentiae suspen-
tabat.

Ita in hoc se gerant in Subditos
Principes, ut ipsi DEUM in se vo-
lunt.

Principis severitatem salutarem esse
oportet, non crudellem.

Timor quidem amore potentior est,
ad firmandam Authoritatem; tamen
si ille immodicus fuerit, resolvetur in
odium, aut contemptum, geminos au-
thoritatis Regiae hostes.

Sicuti impunitas & poenarum par-
citas, nimiaque indulgentia & facili-
tas, impugnant authoritatem publi-
cam; ita poenarum excogitata acerbi-
tas, frequentia, vis & furor, morum-
que austeras, amorem & reverenti-
am imminuit.

Respectum singularem habebunt illi Principes, qui per se merita compensant, pœnas per alios irrogant.

Nihil de Authoritate deperdit Imperans, cum illam moderate communicat aliis. Lux non extinguitur, quæ communicatur. Lucet ut ante, quamvis alienam facem accendat. Cave tamen ne tuam extinguas, cum alienam supra æquum illuminas.

Cum Subditus umbram agit, & Princeps corpus, uterque adimpleat officium: & iste dando, quantum audet; & ille accipiendo, quantum licet. Si quid amplius? augebunt invidiam, & diminuent respectum.

Quod propriè Regium est, nunquam, nec ulli, aut nullo tempore cedendum communicandum ve.

Magnos illos Principes communis proclamat fama, qui non tam formantur à suis, quam suos formant.

Præstaret mori, ajebat Alexander Magnus, quam precario imperare. Ille precario imperat, qui se suaque pau-

paucis, aut uni, ita committit, ut socii videantur Solii, Imperii confortes.

Sic olim nomen erat apud Domitianum, vis autem omnis penes alios.

Actum de auctoritate est, quam involant privati.

Authoritatem suam nunquam discrimini exponet sapiens Princeps. Connivebit aliquando magis, ut contineat; quam præcipitabit, ut amittat cuncta.

Non omnia statim exequere ubi vereris, ne ex voto succedant. Difficile uno tractu convellere, aut immutare omnia. Quædam ex tempore dispone, quædam rejice in tempus.

Non tam terrore, quam amore sibi authoritatem comparant Principes apud gentes externas & devictas, indeque compendia magna accrescunt Regnis & Imperiis.

Quid aliud exitio Lacedæmoniis, & Atheniensibus fuit, quanquam armis pol-

pellerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant.

At Romæ conditor Romulus, tantum Sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, deinde Civies habuerit.

Malus Victoriarum custos est sævitia; malus Authoritatis Regiæ apud exterios propagandæ illex est, crudele vel immoderatum imperium.

Authoritas, quæ mon crescit, declinat: quæ cum Imperii magnitudine adolescit, cum illius interitu senescit, fati aleam mox subitura.

Decrescit quoque illa, cum à primo tenore regendi deflectit. Non mirum inde, si cum mutatione Imperantium ipsi Subditi se & affectos suos mutent.

Quia vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia in fastidio sunt; caveat Princeps, ne subditi, tædio præsentis Regiminis, publicam convellant authoritatem, non tam vetera, quam nova molituri.

Ar-

Arbitrium belli & pacis, cum hoc inter Jura Regalia maximum sit, firmat etiam maxime authoritatem in Solio.

Nunquam deperdent authoritatem illi Principes, qui ipsi summam rerum curant, qui se suorum Civium clypeos agunt, qui manu sua legiones soluunt, & externorum auxilia comparant, omnemque Status potentiam ipsi comprehendunt & dirigunt.

Nequaquam comparatur authoritas ignavia, luxu, otio & ludicris: sed vigilando, agendo, ferendo prospere omnia cedunt. Ex merito decus, nullum ex otio.

Ex amicorum, Confœderatorum ac Clientum multitudine in immensum augetur authoritas. Imperantium non aureum illud Sceptrum est, quod Regna Regesque custodit, sed copia amicorum Regnibus Sceptrum verissimum tutissimumque.

Amicitiam Justitiae prætulit Aristoteles: quia si inter omnes foret ami-

ci-

citia, non opes esset Justitia. Illa sibi ipsi sufficiens præsidium est, non ita hæc.

Optime audiunt à suis subditis illi Principes, qui hostium consilia præveniunt, & à suis Statibus avertunt belli incommoda.

Divisa inter plures authoritas imminent Regium illius splendorem. Nullæ vires tantæ sunt, ut divisæ non prolabantur.

Primogenituræ Principum conservant Regnatrixes Domus, ac ipsa Regna, nè continuatis divisionibus tandem nemini sufficient in tutelam.

Ita Regnum DEUS tradidit Joramo; eo, quod esset primo genitus.

Romani certe in hoc præ omnibus gloriosi: longe enim à domo bella-
bant, & propugnaculis Imperii So-
ciorum fortunas, non sua tecta tue-
bantur.

Regum exquisita Sapientia est, astu-
res externas moliri, procul hostem ha-
bere.

Semina ediorum jacienda, & omne
scelus externum habendum cum lati-
tiâ, vult Tacitus.

Prudentis esse Ducis, inter hostes
discordiar causas ferere, dixit Vege-
tius.

Urgentibus Imperii fatis, nihil jam
fortuna præstare majus potest, quam
hostium discordiam.

Ingens Principi decus, citra dome-
sticum sanguinem bellanti.

Nihil æque bonum Principem an-
xium habeat, quam ne composita tur-
bentur.

Lætabitur in suo Regnante popu-
lus, à quo iste viderit pacem Sapien-
tia firmari, & bellorum imminentes
curas aut ignoscendo transfigi, aut au-
thoritate sua componi; vel si aliter
nequit, paratis viribus mox disjici aut
repelli.

Magni celebresque Principes raro
neutrales, saepē arbitri, clientes nun-
quam sunt.

Arbitrari inter Coronas, Monarcham
sa-

sapit: neutrales ex propria imbecillitate metuunt: Clientela media servitus est.

Ad imperantes monitum est Taciti: ut præstent se semper Arbitros rerum, jure ac nomine Regio.

Plurimum ad Authoritatem Regnantis confert, si is à Subditis habeatur pius, & charus Superis.

Aristotelis hæc mens fuit: quam postea eventus sæpe docuit.

Non prolabitur Majestas Religione sustentata, neque ab hostibus metus, ubi à Cœlo præsidium est.

Gloriosi Principum tituli sunt: Pius, Justus: Pius in Deum, Justus in homines.

Utrumque providentia commendat, quæ non leve ad Authoritatem momentum adfert.

Providentia, felix prudentiæ partus, maximum Regiæ potestatis officium est. Magnus quippe ille Princeps, qui ita Imperio suo providet, ut illum deinceps non pœnitiat.

Absurda in Regnante verba sunt: me pœnitet, non putabam.. Sicuti loco

loco Feci, Vidi: imbecille illud: Legi, audivi.

Nihil prodest cognitio, nisi & factio subsequatur. Non quod putas te scire sis, si actus deest.

Quæ bona, quæ mala sunt, discipe: honesta ab deterioribus, utilia à noxiis elige: præterita perpende; futura provide; præsentia ordina. Nunquam in crastinum differ, quod hodie utiliter agere vales.

Multa præstabit tibi facere, antequam occasio præter labatur, vel queratur, si facta sunt.

Egregii hi effectus sunt providentiae privatæ. Erunt etiam publicæ, si ad trutinam Salutis communis expandantur.

Animalcula quædem tempestates prævident, quædam domus deserunt ruinas proximas. Miserandum profecto, si illi, quibus præesse datum est, nesciant discrimini suos subtrahere, & evitare præcipitia Status.

Rex insipiens perdet populum suum,

um, & Civitates inhabitabuntur per sensum prudentium.

Providere nihil aliud est, quam subdita bene disponere, & ad suum finem adaequatum perducere. Hic totum artis opus est.

Principis siquidem munus unicum : unicum prospicere & publicis consulere commodis.

Non solis viribus æquum est inniti : interdum, & saepe saepius exsuperat illas providentia sagacis Viri.

Multa quæ natura impedita fuere, Consilio & prudentia expedita vidi-
mus.

Laudatissimus Princeps ille, qui cuncta prævidet, quive ipse novit con-
sulere, quod in rem sit.

Non licet dormitabundum esse, qui clavo assidet. Nullum pelagus tam graves habet tempestates, quam omne Regnum pericula. Mox in Syrtes ap-
pellet, qui ad clavum non recte vi-
gilat.

Naufragium hoc erit irreparabile :
quia

quia cum Princeps errat, non nisi omnium pernicie delinquit.

Nihil in Causa Status & Regni modicum, quod si neglectum, non ingens reddatur.

Ideo maximo Imperio maximam curam inesse dixit Salustius,

Providus Princeps Janum induat, & non solum in Sceptro, ut Ægyptiis solitum fuit, sed etiam in fronte & occipitio oculatus sit.

Sciant, quæ sint, quæ fuerint quæ ventura.

Futuris medeatur ex præsentibus, & præsentia expendat ex præteritis.

Qui futura longe prospicit, priusquam eveniant; tanquam de specula providisse creditur.

Animus cavere qui scit, scit tuto aggredi.

Nihil fortuitum providentia patitur, respicit in omnia tempora, versat, reversat omnia, ne casus in culpam transeant.

Jo-

Joseph Ægyptiacus præ Rege Parone extinxit septennem famem Ægypti, quia in tempore prævidit.

Prævisis, ut in rem faciunt, vel ponet obstacula Princeps, vel aptabit ea in suum usum, vel parabit remedia; nunquam suis suorumque periculis, semper alienis cautior.

Providi Principis est, in difficilibus molestisque consilis, eam partem pro facili atque optabili ducere, quæ aut necessaria sit, aut quæ periculi minus habere videatur.

Cautis, quam acrioribus consiliis, facilius, tutiusque tam adversa feruntur, quam secunda reguntur: tam Principis authoritas quæritur, quam conservatur.

Invictæ leges necessitatis sunt; pericula plerumque ex nostra incuria aut desidia.

Raro discriminibus impares sumus, quæ providentur in tempore, & consilio prudenti expenduntur, sufficiens illico ex sagacitate remediis.

M

Non

Non tamen universa Sapientiae humanae; etiam aliquid divinae (nistro calculo omnium planè rerum eventus) finendum.

Miserentur laborum nostrorum Cœlites, & tempestive succurrunt affictis rebus.

Jam multoties nutantem, & ferme cadentem rerum statum divina remedia repararunt.

Quis ita providum, sagacem, & penitus divinae curæ innixum Principem, aut non suspiciet, aut non reverebitur?

Eo deinde connitatur Imperans, ut vel per se facto commonstret, vel per suos Ministros aut emissarios, eam opinionem de se populo imprimat, ut universim habeatur talis, qui non solum præsentis fortunæ dignus, ejusque retinendæ capax; sed etiam quod illius augendæ, & in apicem provehendæ proximus sit.

Quem opinionem tanto facilius imprimet, si populus illum crediderit
Prin-

Principem tam religiosum, piusque; quam ad omnes eventus cautum, providum, magnanimum, munificum, æquumque in merita & demerita.

Externa quoque Authoritatem Regnantium tanto magis promovent, quanto minus interna videntur vel creduntur, quam externa.

Hæc vero consistunt præcipue in moribus externis, actionibus, potentia & fortuna rerum.

Primum est Corporis majestas: quidam enim magnorum operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie Natura donare dignata est.

Gravitas morum, & magnificentia omnis apparatus domestici, & forensis, in templo, curia, campo, apprime convenient Regnanti.

Illa communiter rigorem aliquem præ se fert; hæc ad venerationem & respectum cogit.

Utraque miscenda suavitate aliqua modica, & popularitate, quæ infra decus Imperii non sit.

Authoritatem quoque tuetur abstrac-
tio moderata, & contemptum evitat,
quem parit familiaritas.

Continua inter populares præsentia
ægre custodit illud opinionis de Prin-
cipe augustum.

Absentia Venerationem magis con-
ciliabit, ubi ratio publici præsentiam
non exigit.

Externa hæc ex animis Subditorum
brevi dilabi comperimus: at præclara
facinora Principum, sicuti anima, im-
mortalia sunt.

Eorum fama semper manet, & crescit
in successivas ætates.

Etiamnum loquuntur statuæ, mar-
mora, & colossi, licet oīsa taceant, quid
quid pro republica magnum excelsum
que patratum est.

Sicuti omnia Principum laudare, adulatorum est mos; ita fortunæ quodam
privilegium, ut exiguae etiam quædam
actiones in iis videantur maxime.

Semper feliciter cadunt Jovis taxili-

li: semper res Magnorum cum famâ
& admiratione conjunctæ.

Quæ in privatis latrocinia dicimus,
in Regibus Heroum molimina depræ-
dicamus.

Actiones Principis, si in universo-
rum salutem collineaverint, semper
plausum habebunt à populo; venera-
tionemque tanto majorem caufabunt
illis, quanto minus à Principe sua
propria commoda quæri viderit po-
pulus.

Quidquid Regnantes agunt, sit su-
pra privatam sortem; item præmedi-
tatum, digestum, atque ita securum, ut
nec effectum frustrari, nec repulsam
pati queat.

Vitia prius corrigat Princeps sua,
ut aliena cum authoritate punire va-
leat.

Turpe in alieno oculo festucam non
pati, in proprio trabem ferre.

Ut quis publice serpens contagium
tollat; non toleret in proprio sinu le-
pram.

Prudentes Principes aut declinare debent vitia, quæ in oculos cadere possunt hominum (quod æquissimum est). aut ita recondere; ut non videantur cum ruina aliorum, & propriæ authoritatis.

Factis, & egregiè aut olim, aut nunc gestis pro republica, splendorem quærant Principes, etiam ex publica commendatione.

Nec aberit modesta quædam jactantia, exemplo Romuli, qui cum factis magnificus, tum factorum ostentator haud modicus, hostium spolia, præser-tim cæsorum Ducum, fabricatis ad hoc apte ferculis imponebat, & in Capitolio appendebat.

Ut magnificam opinionem Imperantes semper conservent, augeantque, necesse est, ut in aliqua excellenti Virtute (quod Caroli V. ad Philip-pum monitum fuit) se continuo exerceant, suspensis in illos admiratione subditis.

Decet Principi, Subditos anteire
non

non vita deside, & laborum experie;
sed ea quod rebus provideat, omni-
aque pro salute publica ultiro sub-
eat.

Sat occupant Imperantem tam Bel-
li, quam Pacis artes, nec unquam de-
est bene agendi occasio, qui non sibi
sed omnibus vivit.

Nulla ex otio gloria; nullum ex Gy-
næci desidia decus; nullum à scurris
& parasitis emolumenntum; sed o-
mnia gloriosa Dii laboribus ven-
dunt.

Verum quemadmodum impoten-
tem desideremque Principem nemo re-
spicit, nemo veretur; ita potentibus o-
mnia cedunt, omnia affluunt, omnia se
inclinant.

Nisi potentia fulciatur, corruet o-
mnis Majestas. Vanæ namque sunt
sine viribus iræ; & fragile Solium,
quod non sustinetur vel à Sociis, vel à
divitiis, vel ab armis, vel ab omnibus
simul.

Omnia simul immensam reddant

Potentiam ; sed minus modestam, nisi viribus vel modum imponat, vel dominandi nova siti ad alia non properet.

Sociis si inniti gestiunt Potentes, cayeant: ne in caducum parietem inclinent, ex cuius ruina suam ferant ja-cturam.

Sæpius focii invexere pericula, quam abstulere, diminutis potentiae viribus, quippe distractis in varios.

Irrefragabile est: Omnis potentiae nervum esse opes, his quippe conser-vantur & accrescunt vires, amici, ar-ma, & si quid magnificum in Repu-blica est.

Adorant Subditi parsimoniam Prin-cipis, quia ex illa munificum sperant in omnes; & quo magis sibi par-cum, eo minus avarum in bona pri-vatorum credunt.

Arma ad Potentiam tuendam con-servandamque necessaria sunt impe-ranti, sine quibus nec augebit pomœ-ria,

ria, nec audet quidpiam magnum aggredi aut moliri.

Ab armis securitas publica: nemo quippe aut provocare, aut insidiari audet illi Regno aut Populo, quem intelligit promptum armis, & expeditum ad propulsandas injurias.

Constricto ferro non crevère res Romanæ. Non segnibus consiliis, nec timidis tuta uspiam habetur Majestas Regnantis.

Semper periculosum, magnitudinem suam sola justitia tueri.

Armis opus, ut contineat suos, ut terreat vicinos, ut firmet solium, ut audeat quæque suis viribus innixus.

Omnia denique: Reges, opes, Civies, regna, Religio, potestas, authoritas latent in tutela ac præsidio bellicæ Virtutis.

Ea (ut paucis superiora complectar) authoritatis Regiæ stabiliendæ est ratio, ut non aliter subsistat, nisi moderato regimine, Virtutis omnigenæ fa-

ma, providentiae in omnes eventus aperito oculo, facinorum claritudine, consiliorum sagacitate, bellorum declinatione, ac Sociorum, opum, armorumque comparata potentia.

Unum residuum, quod Cœlitum donum est: Fortuna nimirum, externa rerum quarumcunque.

Infantibus, ineptis, perditisque hominibus sæpen numero, velut dormientibus, in sinum volarunt Coronæ & sceptræ.

Nemo neget, eximiam quoque Gloriam ac imperantibus autoritatem, non minus fortunæ quam Virtutis esse beneficium.

Virtus quando sola est, non cognoscitur: afféclam si fortunam habet, ab omnibus suspicitur.

Nemo infelicem socium querit; nemo cum quo concidat: omnes beatissime volumus, nemo miser.

Quibusdam etiam venti tempestatesque obsecundant, nunquam ab adversa fortuna deceptis.

Sed

Sed tunc caveant maxime , cum in maxima fortuna sunt, reverenterque habeant illam , ne velut umbra se subtrahat.

Regnorum administratores magna fortuna egent, quia eorum authoritas unica felicitatis proles est.

Isocrates magna imperia magnam fortunam dixit, quasi illa sine hac nec occupata, nec stabilita, nec conservata censeantur.

Alexander, cum plurimum Virtuti debuerit, plus tamen debuit fortunæ, quam solus omnium mortalium, in potestate habuit. Quoties illum à morte revocavit? quoties temere in pericula ruentem velut perpetua felicitate protexit.

Ex Stoâ ille Philosophus, pro lege Manilia perorans, sic concludit: Multis ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas, divinitus adjunctam fortunam videri.

Felicem Principem amant, suspiciunt, reverentur subditi; hostes vero,

non tam ejus arma, armorumque causas, quam fortunam metuunt.

Magnorum consiliorum arbiter & judex, sunt ipsi eventus rerum, quos satis adscripsere Gentiles, industriae Politici, nos æviternæ menti, quæ in orbe ludit nobiscum, velut crepundiis.

Felicitas est munus à Summo DEo: non omnibus datum, plurimis negatum.

Ille plasmavit nos: an figulo se opponet limus & terra?

Cujuscunque enim DEus fortunam mutare constituit, etiam consilia corrumpt.

Si inspiciamus causas secundas, credeimus fortunam dari, & quæque fortuita esse. Si causam vero primam rerumque omnium expendamus, nihil tunc nobis videbitur fortunatum, quod non provisum: nihil fortunæ, quod non ordinatio divina.

Quoties rebus incidentia interveniunt,

unt, quæ exsuperant omnem intellectum humanum.

Extremè persequebatur Hircanus Herodem, nec viribus, nec auctoritate, nec dignitate sibi parem: & tamen ex hac ipsa persecutione, præter opinionem aut meritum, obtinuit Herodes Tetrarchatum, ex secunda Principatum, ex tertia Regnum ipsum suæ patriæ.

Nasci magnum, & mori parvum: vocari ad Coronam, & damnari ad vincula, compendium conficit extremæ miseriæ; quam nemo hactenus tulit fortiter, nisi qui inscrutabilia Judicia DEI reverenter habuit.

Ab Ethnico Catholicum hoc: Non consilio prudenti, nec remedio sagaci divinæ providentiae dispositio subverti, vel reformari potest.

Illa interdum tam suaviter & fortiter, in pondere & mensura ordinatam se exhibet, ut illuc, quo illa jubet, ire videamur.

Totum itaque, quod fortuna sive bona sive mala dicitur, est Mens illa æterna, sive Numen ipsum divinum, jam nobis propitium, jam adversum; ut meremur, vel demeremur.

Si DEus omnia in hoc mundo contra vim rationis, & prudentiæ humanae leges fieri sineret: quis aliquid crederet aliud existere, nisi mere fortuita & casualia?

Si vero ex prudentiæ & dispositio-
nis humanæ norma cuncta cederent,
nullo in adversum dato fortuito ca-
su; quis non humanam prudentiam,
velut divinum quid, æstimaret & a-
doraret?

Neceſſe igitur eſt Tertium quidpi-
am eſſe, quod omnia attemperat, re-
git, disponit, & in fines suos ordinat;
relictis in ſuo nihilo fortuna & omni
casu fortuito.

Nemo Cœli Iuſtitiam inculpet, ſi
illa quandoque mulctet innocentes, &
absolvat reos: quia excedit noſtrum
in-

intellectum iste Providentiae divinæ processus.

Longè differunt hebetudinis nostræ consilia ab arcanis divinæ providentiae. Apparent quædam nobis; & non sunt. Caligant oculi nostri ad fines illos occultos.

Minatur aliquibus per felicitatem externam DEUS casus & præcipitia: alios per passiones & infortunia eò subvehit, unde non metuunt lapsum.

Quanti fugiendo in media fata ruerem?

Nihil novi molitur DEUS: ejus judicia ab æterno peracta sunt; exemplanda in tempore ab hominibus, vel ferenda.

Quid igitur? an ideo omnis labor vanus, coactus, inanis, irrita consilia, prudentia nulla? minime.

Consilia namque recta dirigit ipse DEUS, nec confundit humanam prudentiam, regulatam à Cœlesti.

Ipse Euripides dixit: qui se gerunt

runt prudenter, illis sors è Cœlo faciet.

Etiam improbos, si justos, fortuna superna comitatur: Horum merces est in terra, quam non merentur in Cœlo.

Summatim omnia: Prudentiam regulariter fortuna sequitur; quia non nisi prudentes ea recte utinorunt.

Superi laboribus omnia vendunt, & fortioribus semper assistunt.

Omnia prospera eveniunt colentibus Numen, adversa spernentibus.

Sic laborem prosequitur fortuna, sic pietatem felix successus, sic humanam prudentiam, divina dispositio.

Ethæc illa fortuna est, quæ Principes evehit ad solium, victoriis cumulat in triumphum, & auctoritatem firmat in decus perpetuum Majestatis, a pud DEUM & homines.



CAPUT QUARTUM.

*De aliis Virtutibus quasi suspe-
ctis.*

Aliæ quoque Virtutes sunt, æque Regnanti necessariæ, licet vitio conterminæ.

Ab Astutia ordior: de aliis dein-
ceps.

Principem magis astutum volo,
quam simplicem, obiectum quam
apertum.

Astum genuit Prudentia, nec ille
differt ab hac, nisi subtilitate occulta-
rum rationum, citra vitium tamen, &
fidei jacturam.

Astu majores fines, & facilius asse-
quitur Princeps, quam armorum fra-
gore, & dubio belli eventu.

Plus dolet ictus ab astutia, quam à
vi aperta.

Sub-

Subtilis astutiæ ratio est, nosse bellum jactare, & pacem interim querere.

Aut arcanum illud Romanis usitatum: Pacem in Urbe, bellum procul habere.

Absit, mi Princeps, ut astum dolum putes, vel astutum dolosum.

Astus Policiea servat, dolus nec fidem respicit, nec stat promissis.

Astus inter septa Justitiæ clauditur, & præter opinionem assequitur finem, absque quo prævaricatur leges diuinæ & humanas.

Dolus per quævis media, justa, inusta, & præter rationis Cynosuram agit omnia, perperam mentiendo, cævillando, fallendo.

Quis inter malas artes computabit, quod Patriarcha Jacob, exposito pecoriis variegato ligno, plures oves lucratus sit, quam Laban:

Aut quod Darius, hinnitu equi arte procurato, regnum Persiæ obtinuerit?

Be.

Benedicta Jael celebratur in Scriptura divina, quod Sisaram haustula lactis sopiverit, ut illum tutius ferreo clavo occideret.

Imo Plato & Xenophon dixerunt: etiam mendacio fallere hostem, propter Salutem Patriæ, sapientis esse.

Lato sensu hic intellige mendacium; non enim pro vero mendacio, sed similitudine illius accipitur.

Ejusmodi astutiae, qualem Jael in Sisaram, vel Judith commisit in Holofernem, fundantur in Veritate.

Quæ enim Veritas major esse potest, quam procurare Salutem omnium, & ab exitio tueri patriam: sicut major falsitas esse nequit, quam derogare Saluti omnium, propter interesse particolare.

Astutia per se non decipit, sed decipitur ille, qui nimium credit.

Effectus interdum prius apparent, quam videantur causæ. Astu tunc Principi utendum, præveniendum, divertendum.

Raro in materia Status ita res se habent, ut apparent: Colores sunt, qui videntur; substantia intimius ha-
ret.

Prælium quoddam mentium est, quando unus sua consilia oculere, al-
ter penetrare tentat. Utrinque astu
opus.

Tiberius socium Imperii indesinen-
ter à Senatu precabatur, non ea qui-
dem mente, ut pro reverentia exau-
direntur ejus preces, sed ut, quod
metuebat, si accideret, obfistere va-
leret.

E contra Senatores, quibus plus
quam perspecta erat Tiberii astutia,
summopere verebantur, ne ille op-
naretur se ab illis intelligi: igitur pro-
fusis ad speciem lachrymis depreca-
bantur socium, cum illis unus suffice-
ret Tiberius, moderator, & arbiter
Romani Imperii.

Sic astu astum eludebant: sed non
absque periculo, quia magis opinio-
nem

nem Cæsaris inferebant, cum eum evellere nimium conabantur.

Satius erat dissimulasse: quia nisi dissimulatio cooperiat astum, astus non est; sed res inanis, vel plane ludibrium.

Leporem dormientem aperto oculo, repreſentat dissimulatio.

Non illa semper dormit, cum dormire creditur: opertus oculus prætextus est soporis, quo alios eludit.

Quod non facit; ~~io~~ se facere adsimulat, & quod facit, se non facere disimulat.

Omnium actionum Politicorum, præter solum Consilium, dissimulatio est condimentum.

Tutissimum inter pericula præsidium, & tempestivum est Ariadnæ filum, ex labyrintho rerum perplexarum manducens Principem.

Regnanti nosse dissimulare tam necessarium est, quam rectè regnare.

Sciscitare Liviam, quæ animo imperabat Augusti, dominatoris mundi:

Unde

Unde tantum fœminæ, in tantum
Virum imperium?

Reponet: quia alta dissimulatione
nunquam affectavit publica, licet eo-
rum cupiditate flagraret.

Ideò vocata ad omnia; rerum de-
inde magis arbitra, quam conscientia.

Nuditas non minus mentis, quam
capitis aliquando indicens est.

Non exiguum adfert reverentiam
Principum moribus & actionibus, si
non pro patulæ omnibus sunt.

Verum loqui Synteresis præcipit;
aliquando reticere, prudentia.

Multi mortalium rerum eventus
plane felices sortiti sunt, ex dissimu-
latione mediarum causarum.

Quomodo Cyrus liberasset Persas à
Tyrannide Medorum, nisi celasset sua
confilia Astyagi?

Quomodo Dion Tyrannum ex pa-
tria ejecisset Dionysium, si iste illius
cognovisset artificia?

Cor obiectum non est, nisi à lin-
gua obtegatur? hæc quo rarius loqui-
tur,

tur, vel magis obvia, minime impingit. Cum primum discurrit, hoc ipso judicat, & ex hoc indicat animi sui sensa.

Intempestiva benevolentia, adulatio, subornatio, arcanum dissimulacionis referant.

Produnt se, licet dissimulare sibi videantur, qui scire aliquid, aut velle se, ultro, vel meticulose vel ardenter excusant.

Temperamentum illud dissimulantium optimum est, quod ex affabilitate, eodemque agendi tenore, & severitate morum constat.

Nimirum: ut in dissimulante multum appareat affabilitas, dissimulatio nequaquam, & securitas parumper.

Tria commoda resultant regnanti ex dissimulatione:

Unum est indormentatio eorum, qui obesse possunt intentionibus.

Alterum libertas agendi; quam ille semper habet, qui obtigit sua consilia,

288 **Cap. IV. De aliis Virtutibus**
lia, liber in quantamlibet partem se
flectendi.

Tertium: dissimulatio subtiliter pe-
netrat in aliorum arcana, & velut ali-
ud agendo: aliquando etiam, quædam
in speciem confidendo, alienos rima-
tur fines & consilia.

Vetus Hispanorum dixerunt: U-
num mendacium plures generat Ve-
ritates.

Sapientis Principis est, dissimulare
interdum injuriam, à potentiore im-
pactam.

Quod mutare, exequi, aut punire
citra periculum nequis, tutius dissi-
mula.

In principio vel aditu Regni, multa
dissimulare Regnante oportet, ut
penitus cognoscat suos, illive cre-
dant, nescivisse Principem ea, quæ il-
los emendare conveniebat.

Si viribus valet, nunquam dissimu-
let ea Princeps, quæ metuit, aut me-
tuere videri posset.

In excessibus notoriis, tam politi-
cis

eis quam moralibus (quam diu illis pares sunt) Imperantibus dissimulare non expedit: ne dissimulando vel metuere videantur, vel ignaviae arguantur.

Infortunia sua, quæ palam sunt, si Princeps occultat, aut dissimulat, magis auget.

Usque dum vero non innotescunt, omni possibili modo occultanda; ne vel animo concidant Subditi, vel in partes abeant, vel ipsum Principem detestentur.

Interim minuenda fama damni, removenda pericula, providendum de securitate sibi.

Necessitates publicæ raro dissimulari possunt, citra damnum publicum. In tempore potius ferendum remedium, quam ex dissimulatione mali, ultimum expectare præcipitum.

Ingrata sibi Princeps magis dissimulet, quam prohibeat; quia in veti-

ta magis nititur sive suspicio, sive curiositas hominibus innata.

Duos in hoc dissimulandi genere scopulos caveat Princeps.

Primo, ut non continuo & ex professione utatur dissimulatione, sed raro, & cum necesse duxerit.

Simulatio in omni re vitiosa est. tollit enim iudicium boni Viri, idque adulterat, ait Aristoteles.

Alterum, ut non advertatur dissimulare, sed sciat ipsam dissimulationem, sive propriam sive alienam, dissimulare.

Simiam in purpura non praeseferant Principes, sed simiam sub purpura recordant.

Utrobique erravit Tiberius: is nunquam nec signum illius monstravit, quod revera voluit, sed oppositorum semper.

Renuit concupita: odiosa sibi expetiit: nunquam ille fuit, qui erat.

Ea-

Famam dissimulatoris veterni obtinuit, & inde omnium odium.

Recte quidam illi, ægre suscipienti delatum Imperium, in aures sugges- sit: Cæteri quod pollicentur, tarde præstant, tu quod præfas, tarde pol- liceris.

Hypocritæ potius ejusmodi sunt, quam dissimulatores Politici.

Dissimulatio prudens conjuncta est verecundiæ, ideoque rara..

Qui autem sine rubore & perficie in omni actione simulant, committunt mendacium in signis factorum exterio- rum, ut ajunt Theologi.

Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus.

Simulatio falsi repugnat præcepto negativo Juris naturalis: Ne falsum dicas. Quod tantundem est, quam ne falsum facias.

Temperamentum Senecæ sequere: Faciet sapiens etiam, quæ non probabit, ut ad majora transitum inveniat: nec relinquet bonos mores, sed tem-

pori aptabit; & quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utetur ille a gendæ rei causa.

Totum vertitur in hoc; ut Princeps prius cognoscat casus, quibus se de inde accommodare & aptare sciat, ci tra jacturam animæ.

Sapientem non uno semper gradu ire convenit, sed una via; nec se mutare, sed potius rebus aptare.

Cato M. quasi quocunque loco na tus fuisset, fortunam sibi ipse facturus videbatur.

Non tantum illud sincerum est, quod patet omnibus; sed patent mul ta minus, quam quæ leguntur since ra. Quæ vera sunt, oculere, dissimulare, retrahere, nostri juris sunt.

Mentiri non debet Princeps, tacere tamen ipsi permisum est.

Sapiens serviet tempori, sed Virtute salva.

Illud est Sapere, si, ubi cunque opus sit, animum valeas flectere.

In carne degens Deus fixit se longius

gius ire; nec tamen ideo improbitatem professus est.

David simulavit insaniam, Solon furorem, Abraham Cœlibatum; quorum nemo reprobatus est.

Circumeunt potius Navarchi, quam recta irent cum periculo in portum.

Paucis omnia: Princeps secretum suum sibi habeat: fidem apud alios: versatile ingenium in quocunque casu, loco & fortuna.

Astum & dissimulationem consequitur dissidentia & confidentia: utraque vitio contermina, imo vitium ipsum, si excedat.

Media autem inter extrema Virtus est, & ramus non contemnendus Prudentiæ Regiæ, ad recte gubernandum necessarius.

Aurea est omnis mediocritas, sive sit inter ignaviam & audaciam, sive inter confidentiam & dissidentiam, presumptionem & desperationem, temeritatem & pusillanimitatem.

Confidere est certam spem concipere, perducendi ad finem destinata.

Diffidere est credulitatem deporre, ea exsequendi, quæ sub præsentem actionem cadunt.

Utrumque se, & alios respicit. Omnis quippe, qui confidit, aut diffidit; vel suis viribus vel aliena operatione sustineri vult, aut ea se destitui putat.

Ambo damnat lex divina: sive confidentia in præsumptionem evanescat, sive diffidentia in desperationem & vitalitatem animi dejiciatur.

Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit: & maledictus qui confidit in homine. Desperantes autem tradiderunt se in operationem immunditiae omnis, sique in perditionem.

Temperamentum utriusque à magno Viro: Expedit magis, bene timerre, quam male fidere: & utilius est, ut homo se infirmum cognoscat, ut fortis existat; quam fortis videri velit, infirmus ut emergat.

Confidentia, quæ in præsumptionem

nem abit, tumiditate sua cœca; sui suorumque prodiga, nec pericula, nec hostem expendit; sed præceps, ut fera, ruit in ferrum & vulnera, rerum momenta solum suis viribus & impietu dimetiens.

Diffidentia vero illa moderata, & media inter pusillanimitatem & audaciam, nunquam contemnit hostem; nec tantum viribus, quam Virtuti, industriæ, & consilio attribuit: omnia undique pericula præmeditatur, præcavet, & pari fortitudine decertat, quam cautela.

Bono Principi in rebus trepidis perfugium est ad fortitudinem, & fiduciam erga Cœlites: malo ad temeritatem, vel desperationem, & impiorum consilia.

Laudo eos Principes, qui omnem suam potentiam certo, ac impartiali pondere examinant, tantum sibi arrogantes, quantum à contemptu & insolentiâ distare satis est.

Elephas grandis est & occiditur: Leo

fortis est, & occiditur; Tigris fortis est, & occiditur: Cave multos, si singulos non times.

Ipsæ namque vires, opes, miles, si nimia sunt, gubernari haud quamquam possunt: quod autem gubernari non potest, nec diu perdurat.

Multitudo exercitus, quæ Darium cooperire videbatur, potius opprescit.

Nihil tam magnum, quod jam non periit. Non se noscunt illi Principes, qui se nimium posse existimant: vel cum blandiuntur sibi de magnitudine potentiae, magis de expendendo, quam de conservando cogitant.

Hinc bella assumunt difficultia, injsta, præsumptuosa; existimantes indignum esse, si non omnia minora unimaximo subjiciantur.

Quanti nimium confidere in suis viribus, & illis ipsis concidere, aut alienis!

Multum præsumpsit Pompejus, cum ille

ille objectantibus fortunam Cæsar is
in Italia, responderit: Simul ac Italiæ
pulsavero solum, exsiliens affatim e-
quesires pedestresque copiæ.

Pessimus exitus, Magni Herois
confudit jaëtantiam.

Temeritatis subiti ac vehementes
sunt motus & impetus, quibus semel
Principum mentes concussæ, nec suis
periculis amplius prospiciunt, nec aliena
consilia justa æstimatione prose-
qui valent.

Sapientes Principes, qui belli re-
rumque dubiarum eventibus diffidunt,
in ipsa securitate animum ad dif-
ficia præparant, & contra omnes
fortunæ injuriæ & discrimina, se for-
titer communiunt.

Animus, vereri qui scit, scit quoque
tuto aggredi.

Qui leviter sibi & aliis diffidunt, res-
que omnes sagacius circumspectant,
communiter extra telorum jactum, &
citra periculum versantur: nec se in-
volvunt temere negotiis, unde se faci-

N 5 le

le nequeunt extricare; & è portu alio.
rum spectant naufragia.

Verum, ut omnibus omnia confi-
dere, est vel socordiam suam, vel in-
scitiam profiteri: ita nulli; est, omnes
imprudentiae, seipsum contumaciam
damnare.

Eucliones & mali Principes, nem-
nem existimant probum, neminem fi-
dum; omnes suspectos, versipelles, in-
gratos, invidos arbitrantur, quia ipsi
tales sunt.

Titubans, abjectus, vilisque Princi-
pis animus ad levissimam quamque
auram percellitur, mala qualibet su-
spicione perstringitur; ac dum Ve-
ritatis negligens est, toto peccore men-
dacia haurit.

Confidentia siquidem non sola præ-
sumptione & arrogantia; sed eti-
am credulitate nimia corrumpitur.

Credulitate plus æqua moventur
Regnantes saepe in injusta, indigna,
proterva, difficultia.

Qui credit cito, levis corde est; &
qui

qui male credit, male judicat: nunquam recte faciet, quisquis citò crediderit.

Credulitas magna imbecillitas animi est, quæ cuique rumori avidas præbet aures; mox finum pañdit, ac tandem aperit præcordia.

Verbum Credo apud Jurisprudentes non plenum facit testimonium. Credentibus non creditur.

Regulariter, qualis Principi cupiditas, talis est aut credendi facilitas, aut non credendi pertinacia.

Timor facit credere impossibilia, & amor quæcunque grata; falsa ne sint vel vera.

Facile est falli; sed nulla refacilius, quam cum facillime creditur.

Credulitas muliebre vitium est, animalis superstitionis fabula virorum prudentum; regiae mentis dedecus.

Optime secum agit, qui suspicatur, ita tamen, ne omnia temere negligat, sed omnibus securum sese præstet.

Incredulitas rerum notitiam in nos,

non æque neglectum conferre debet. dicebat illustris quidam Politicus.

Nec enim sapiens Princeps primis & levissimis auditionibus movetur, sed assumpta prudente diffidentia, caute dicta examinat, & lente trutinat, antequam audita exequatur.

Eos sapientiae veros nervos arbitrare: Credere ad oculum omnia, sed animo dubitare de omnibus: ruminare subinde omnia, & cavere sibi in omnibus: raro confidere, quæ occulta manere possunt: parce loqui, ubi interponi debet fides.

Confidenter, cum Apollonio Thyanæo, assevero: Secure ac tuto regnabis, si multos honoraveris, paucis vero credideris.

Utrumque quidem in vitio est: & omnibus crederé, & nulli.

Stupidi Principes omnibus; mali credunt nulli: sapientes nec omnibus, nec nulli.

Con-

Confidunt isti & credunt, sed pacis: iisque cautela, ne fallantur.

Credunt viris probatæ fidei, incorruptique animi: fidunt suis magi- quam externis: confidunt autem illis maxime, qui una periclitantur.

In manibus oculos habent, quoties eas porrigunt ad confirmanda pacta & fœdera, aut iis subscribunt Regiam fidem.

Decipi semper metuunt; sed timorem sagax providentia tollit, parata in omnes casus.

Hoc illud nostrum diffidere est: nosse cavere suis.

Vigila igitur, mi Princeps! & memor esto, ut arcana quadam diffiden- tia caveas tibi ab aliis, quos tam præmonere, quam præterire periculo- sum est.

Cave, ne te ullius perfidia, destitu- tum consiliis, mediisque inveniat; qui- bus illam antea prævenire, quam con- demnare queas.

Nec credas fœderatis vicinis, sed quo-

quo modo, sive diversionibus, sive pecunia, sive promissis dissolve foederis vincula, quæ tibi paratur in servitatem.

Nec domi præstoleris hostem, præverte belli sedem; observa ejus consilia, sed non sequere: cum parvo discrimine potius pacem quære, quam cum dubio eventu bellum sectare.

Cave tibi tam ab eminentibus Virtute & potentia, quam ab improbis & vitio infamibus: ex optimis periculum tibi, à pessimis dedecus.

Ne fidas proditoribus, ne rebellibus, ne reconciliatis, ne offensis, ne magnis, affinitatibus præsertim exterorum conspicuis.

Ne credas magniloquis, & viris simulatis: ne partialibus, ne inter se æmulis, ne prætententibus, ne recidivis; neque iis qui neutram partem sequuntur.

Omnium autem primum & maximum Cave: ne cuiquam diffidere videaris. Vult enim sibi quisque cre-

di:

di: & quandoque præstita insidia-
tori fides, mutavit insidias in tute-
lam.

CAPUT QUINTUM.

*Quæ Principem agere, quæ omit-
tere decet.*

Plutarchum audio monentem:
Virtutes Principum profer sine
adulatione, vitia cum discre-
tione.

Et Tacitus meus ductor est, qui
cum Othonis, Galbæ & Vitellii vitia
scripsisse debuisset, protestatus est: Mi-
hi Otho, Galba, Vitellius nec benefi-
cio nec Virtute cogniti.

Ego quoque protestor: Omnem
Principem legitimum, quam diu re-
git, bonum esse.

Et Neronem meliorem dico, quam
Se-

Senecam; & Caracallam, quam Popinum. Fuerunt quippe illi Principes regnantes, adeoque meliores suis subditis.

Plato & Hierocles dixerunt: quod Imperium & Imperator propriæ non aliter, quam sub indole justi, honestique intelligi concipi possit.

Optimos quippe decet eligi, haberi que tales, quam diu regnant.

Illi sunt nostra Numinia, vel saltem Numinum Ministri in terris.

Nemo magnus sine aliquo afflatus divino unquam fuit.

Nullam inde Hæresim profiteor: quia æterna Veritas Nabuchodonosorem Regem, vita moribusque perversum, suum tamen pronuntiat Ministrum, & electo suo populo præcipit: ut plane orent pro ipso.

Omnes quasi Principes intendunt esse boni; & pars major eorum vel impeditur a Subditis, vel temporum vicissitudine corruimpitur.

Non semper iidem sunt Subditi, neque

que eadem tempora, nec semper Principes esse possunt Cyri, nec Julii, nec Trajani. Julius non habuit Cyri subditos, nec Trajani tempora.

Principatus Virum ostendit, non privatus status.

Erravit Roma, cum ex privata vita Galbae, spem optimi futuri Imperii concepit.

Major privato visus est Galba, dum privatus fuit: & omnium consensu capax Imperii, nisi imperasset.

Magnum illud Principis elogium, de quo dici potest: nunquam recte fecit, ut facere videretur; sed quia aliter facere non poterat, omnibus viis humanis immunis, semper fortunam suam in potestate habuit.

Qui novit eligere, quod melius in prosperitate, & quod tutius in adversitate: qui expendit magis merita bonorum, quam preces amicorum: qui Regem agit, non privatum: qui talem agit, qualem esse optat privatus.

Claudii temporibus Mimicus scurra dixit: In uno annulo bonos Principes posse describi atque depingi.

Epicteti in Principem Epitheta sunt: Pater mitis, æquus, magnanimus, liber.

Ejus primum munus est regere: alterum, Jus dicere: tertium, omnium curare salutem.

Si vis tñi Princeps bene regere, te subjice rationi: Multos reges, & reæte reges, si ratio te rexerit. Ab illa disces, quid & quomodo regendum.

Sic cunctis dominaris, tibi dominetur ratio.

Ut bene regas, regnum à te incipe: ut bene consulas aliis, consule tuis: ut dici queas Princeps, monstra te esse Principem.

Regnum Philosophum exigit Principem, sed non dialecticum, Mathematicum, aut Physicum: exigit tamen Ethicum in sua persona; Oeconomicum in sua familia; Politicum in suo officio.

Omnnes

Omnis Artes & Scientiae conveniunt Principi; sed illæ magis, quæ docent regere se ipsum, suam familiam, suumque Principatum.

Vacuum te affectibus esse volo: ne te vel Odium impellat ad iniqua: ne judicium corruptat amor: ne ad illicitæ & probroso te trahat libido: ne ad vindictam stimulet dolor: ne te ad aliena sollicitet cupiditas: ne te in bella præcipitet invidia & æmulatio.

Cum primum remiseris, aut intenderis tuam potestatem, non existimaberis amplius Princeps: sed aut servies, aut dominaberis; cum tuum sit tantummodo regere: eoque aut contemptum tui, aut odium (quæ duo pessima sunt vincula Imperii) tibi comparabis.

Regendi modum singulorum moribus decenter accommoda: Cum invitatis nihil magnum suscipe: Neminem facile extra orbitam sui genii co ge.

In committendis negotiis, muniis,

ex-

expeditionibus, non merita tantum, sed qualitates & inclinationes expende.

Cum probis moderate, cum supinis vehementer, cum audacibus acerbe, cum temerariis caute, cum potentibus dissimulanter, cum cautioribus leviter agito.

Semper ea prius animo expendas, quæ manibus acturus es, ad Reipublicæ bonum.

Nulli te subjice; nec dominare despoticæ. Hæc duo Regiminis extrema sunt; ideo vitiosa.

Nunquam te alteri des, ut tui copiam non retineas.

Liberum haud æstimo Principem, si quempiam timet ex suis Vasallis. Metui provideat, ut vel ametur ab omnibus, vel tollantur metuendi.

Nimia libertate metuendam tuorum potentiam ne alas. Potentiaæ a-
vitæ adjacet audacia in quæque.

Nunquam offendas potentes, aut ar-
morum peritos: nec charos populo,
arca-

arcanorum consios, neque te credas
gratuito à te offensis. Injuriarum
memoria firma, beneficiorum debi-
lis est.

Coriolanus à Romanis, Alcibiades
ab Atheniensibus offensi, multum ne-
gotii dedere patriæ.

Neminem eo provehas, ut vererī
eius potentiam debeas. Neque illi
talem Præfeturam committas, quam
armis & sanguine repetas. Vestigia te
terreant Fridlandi.

Majoris momenti negotia, quæ per
te potes, non tracta per alios. Consul-
to tamen agas.

Nunquam tibi difficile sit, ad Vi-
torum prudentum consilia, cedere
ab instituto. Pertinacia sopit ambitio-
nis puluerem, non amorem Salutis pu-
blicæ.

Arrogantia illa Principum est ad-
modum periculosa, ubi tantum suo
sensu abundat; cum sic ad præcipitia
vergat.

Interim ex nulla alia re majorem
lau-

laudem & gloriam venetur Princeps; quam ut Ministri humilitatis versus ipsum, & in Leges observantiæ, inferioribus quibusque palmam præripiant.

Ita monuit in suo Basilicone Angliæ Rex filium: Ministrorum aures hisce vocibus perpetuo circumsonare oportet, nulla ab illis erga te officia magis grata, nulla obsequia magis expedita proficiisci posse, quam si illi & personas suas legibus subjiciant, & inferiores etiam pro eâ, qua valent, auctoritate ad eandem obedientiam pertrahant.

Deo proximior Virtus non est, quam regnare cum Justitia & æquitate. Hic apex est tuæ Vocationis, hæc meta unica Regii muneris.

Semper malueris, si in tuo arbitrio fuerit, æquitate quam sanguine, causa quam armis, retinere aut à te, aut olim parta.

Leges ex usu temporum mitiga, & quas necessitas publica, aut belli incom-

commodum juss erat leges, firmata pa-
ce abroga.

Vetus consuetudines ne temere
tollat Princeps, quantumcunque bar-
baræ videantur, dummodo in aperta
vitia non declinent..

In Rebus extra periculum Status,
esto semper tardus ad puniendum.

Oportet Principem non solum nihil
facere per injuriam, sed nec facere vi-
deri. Nam privatis quidem homini-
bus satis est, nihil delinquere: Princi-
pem vero decet, ne quidem esse suspe-
ctum delicti.

Prius se emendet Princeps, quam a-
lios: Nulla sententia est damnantis, qui
ipse damnandus.

Si ex identitate culpæ vereris repre-
hendere prævaricantes, tu illam vitæ
mutatione prius elue.

Bonus Princeps nunquam pruden-
tiā casui, nunquam judicium teme-
ritati committit..

Nunquam inclina ad turpia confi-
lia,

lia, quamvis optima relinquere tibi integrum est, necessitate id exigente.

Licet viribus validus sis, eas tamen ad injurias cæterorum non exercebis.

Leges furta minora mulctant, at Deus Judex Regum, usurpatores flagellat.

Quamdiu unitas tibi in Virtutibus erit, nunquam objicientur tibi vitia: nec erit qui dicet, te impulisse laborem in clades Rempublicam.

Omnium cura salutem, ut pater filiorum; si non univoce, saltem æquivoce: si non, ut ratio particularis, saltem ut ratio universalis exigit.

Si noluerint esse filii, nec eris illis pater: manebunt illi servi, tu Dominus.

Maturius in rebelles & severius, quam in arma palam minantes, vindica.

Minis Subditorum audaciam nunquam lacefas, sed paratis viribus.

Cave, ne tam rigidus sis, ut cum talis amari nequeas, omnes metuere debeas.

Ex-

Expedit quidem metum Subditis
incutere, ne mala agant: contra ma-
lum, si isti metuant sibi fortunisque
suis, per actiones Principis.

Metus Majestatis, non crudelitatis,
aut Tyrannidis tuæ sit fulcrum: Illinc
erit in reverentiam, hinc in odium.
Illam conciliahunt egregia facinora:
hoc incutient tua scelera.

Si variis imperas Provinciis & Re-
gnis, ex singulis unum aut alterum
apud te habeto, qui gentis & patriæ ne-
gotia curet.

Fiduciam, amorem id augebit Pro-
vinciarum in Principem, videntium se
non negligi.

Amicos & in Consilii communica-
tionem admissos, in omnem horam, ut
Vertumnus, non muta.

Nunquam aufer Ministris & Ma-
gnatibus totam potestatem, sed per
partes iminue tempora, ut ultimo, nul-
la illius sit.

Neque tamen bonos viros (tibi au-
tem inimicos) ejusmodi casibus objecta,

O

at-

314 Cap. V. De qua Principem agere,
atque discriminibus, ut illis necessario
pereundum sit.

Non sis ex illis Principibus, qui,
ubi aliquem perdere volunt, tamen
non id propter quod vere dolent, sed
honestiorem aliquam causam suæ pas-
sioni prætexunt, eamque obtentui im-
illius scilicet perniciem, quem ode-
runt, assumunt: sicque in iis, quæ im-
potentissime faciunt, speciem aliquam
inducunt recti.

Non debes hujus aut illius esse ho-
stis, ex quo pater omnium esse me-
ruisti.

Prima potius tibi gloria, in tuorum
animis esse.

Si rem magnam aggressus es, non
tam fuge invidiam, quam quære
splendorem & potentiam, quæ in-
vidiæ luminibus sua mole officiet.

In adversis nunquam diffide: esto
intrepidus; & velut prostratus attacca
terra. Antæus resurge, majora moli-
turus.

Ne sis ex illis, qui stulta dissimula-
tione:

tione remedia potius malorum, quam mala differunt. Quippe confitenti, consultantique supersunt opes viresque: læta vero omnia fingens periculis indorinit, cum sua pernicie.

Malorum semina, ne incremento proserpant, in primo ortu opprime. Sicut tempore maturescunt omnia, ita protracta consuetudine amplius ingravescunt mala.

In propinquo Summæ rei discrimine Socios explora: Qui una periclitari volunt, fideles sunt.

Armis in alieno Regno motis, maxime si vicina sunt, potius est, ut te immisceas, aut alterutri parti jungas, alioquin in prædam victoribus futurus.

In omnibus bellis hoc crede: quod non victoria, non vulnera, non parta, sed belli causa Principem cernent.

Imperii domicilium ne facile deserfas: imitare Philippum II. qui secutus est Tiberium.

Rationes Tiberii exposuit Tacitus, laudatas tunc velut ex prudentiæ fonte emanantes; invalidas contra quas vulgo Civitas jactabit.

Interim problema manet: an Summus Princeps, relicto imperii domicilio, ad componendas seditiones abi-re, & opponere tumultuantibus Imperatoriam Majestatem debeat. Sæpe id feliciter, sæpe ex æquo non suc-cessit.

Tunc denique, mi Princeps, ma-gnitudinem tuam stabilem, fundatam-que dicam, cum te in summo fastigio non magis præesse quam prodesse, au-divero. Bonus enim Rex publicus Servus..

Hoc cogita, quod à Subditis non aliter differas, quam sola Potestate: Cætera tibi graviora sunt, quam illis.

Major labor, major cura, & major ratio reddenda.

Repeto; & tu Credas: Si bonus sis, regnare tibi servire erit.

Tua

Tuæ vigiliæ omnium quietem tueri, omnium otium tua cura supplerre; omnium delicias tua industria procurare, omnium vacationem tua occupatio juvare; omnium egestati tua munificentia subvenire; omnium laborem tua præmia compensare debebunt.

Ad tuam, mi Princeps, curam pertinet providere, ne clarissimæ familiæ propter inopiam intereant. Nobilitas cor Regni est; at populus & cives membra magis servilia.

Tuum est nosse tuos: tuum, de cunctis disponere; non vulgari quavis, sed exacta rerum omnium notitia.

Tuum est, omnium Populorum, quibus aliquid cum tuis Subditis commercii intercedit, origines, rationes vivendi, belli pacisque instituta penetrare.

Tuum est, expendere omnia momenta temporis, ut occasione præ-

benti se nunquam desis. Cum ex unico momento negotiorum fama, vis, & successus plerumque pendeat.

Princeps aut usurpator, aut intrus, aut electus, aspiret ad regias nuptias prædecessorum.

Ita multi sapienter retinuere usurpatas Coronas. Ita Darius ex privato homine Rex factus, Cyri Regis filiam, Regalibus nuptiis Regnum sibi firmaturus, thori consortem fecit; ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reversum videatur.

Sagax Princeps nunquam sinit, circa suum consensum, Regias Virgines aut Matronas, nec sanguinis Regii Principes, in quascunque abire nuptias. Interesse magnum Status hic vertitur, cui providendum in similibus maxime.

Matrimonium æqualitatem flagitat; ubi eam non invenit. Principatus

autem natura sua excludit æqualitatem. Regi nemo æqualis est: unus ille maximus.

Eos, qui matrimonia Regiarum Virginum affectant, plerumque invadit cupidus regnandi.

Jam tunc futura moliuntur, incerti præsentium.

Primus fœtus, quem in gratiam maritorum tales fœminæ edere volunt, Regnum est.

Negavit Tiberius Agrippinæ mari-
tum, occulta ratione Status ductus;
quam nec Tacitus penetravit, inqui-
ens: Cæsar non ignarus, quantum ex
Republica peteretur: ne tamen of-
fensionis & metus manifestus foret, si-
ne responso quemque instantem re-
linquit.

Arcanum Status est: Ne fœmina
ex Augusta domo pro arbitrio nu-
bere permittatur; cum talibus ma-
trimoniis via ad Imperium sternat-
ur.

Multo autem minus, vel sâtem non facile, cum Subditis contrahendæ nuptiæ vel affinitates. Conſtiterunt hæ jam multo ſanguine, ac regnorum depopulatione, mutatione & ruina regiarum familiarum. In quodcunque te vertis Regnum, videbis affatim infirma Jura Sanguinis, ubi de regno controvertitur.

At nec veto ſolum matrimonia cum privatis, ſed etiam cum infidelibus, aut ſuceptæ Religionis.

Non facile impunisabit, qui hic exorbitabit.

Davidis illa Geffurea quantos maiorum montes per Absalonem super invexit Regno! quantam ſapientiſſimo Regum Salomoni infamiam apostaticæ Gentilium filiæ in thorū Regium induxerunt!

Disparitas matrimonii thorū dividit facile & Regnum, infafcinat Justitiam, corrumpit conſcientiam, excæcat Regnantem.

Accedit, quod ejusmodi Imperanti-

um

um propinqui, per ipsas fœminas, derivant omnem fontem Regiae gratiae in se, aviditate aliis relicta.

Sic olim Romæ omnes Liviæ amici senserunt illius potentiam, aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

Cum vero illa fato functa fuit, incepit tunc primo Tiberius dominari: nam incolumi Augusta adhuc erat aliquod perfugium, quia Tiberio inveratum erat in Matrem obsequium.

Fœminarum Regiarum in Aula suggestiones semper validæ sunt, & regnantibus onerosæ: aliquibus in beneficium, plurimis in præjudicium.

Livia noveralibus odiis premebat Augusti Sanguinem, ut Tiberium sum ad Imperium proveheret.

Caveant Regnantes, ne Augusta, ac Regia seboles, Principalesque necessitudines unquam honoribus Regnantis plane adæquentur.

Verum quidem est, quod majestas Imperantis etiam in Sanguine & familia sua radios explicare debeat: sed

modus adsit & moderatio: nimirum
ut fulgeant illi velut Planetæ; sed nec
sint caligo Soli.

Tertio genitis sapiens Princeps vix
majoris consequentiæ Praefecturas,
maxime præ ante genitis committit.
Sint potius illi à Solio procul, de-
tinendi honoribus & oblectamentis,
& Regio Appanagio.

Cum Imperantes deliberant cum
suis conjunctis, non alium in consilium
adhibeant, quam propriam securita-
tem, naturæ ipsi imposita lege; ne si-
nat illis, quod velit, sed quod expedit.

Providus Princeps, ut in familia sua
deinceps permaneat Principatus, ope-
ram dabit omnem possibilem.

Id ad Auctoritatem, Majestatem, ac
securitatem spectat Imperantis.

Felix Imperium, ubi dici valet:
Plena Cæsarum domus: faustumque
est Regnum, ubi liberorum numerus
adfert moram privatæ ambitioni.

Adoptio in partem subsidii venit, &
naturæ infirmitatem supplet providen-
tia

tiæ consilium ; quando Princeps non vult Successorem esse in incerto.

At tunc magis expediet, quærere in familia sua , quam in Republica. Quoties alterum hoc tentatum, toties successere revolutiones Status. Exemplo est Polonia.

Neque illud Potentiaæ solum suæ studio, quam publicæ Salutis causa, quia semper præstat successio electione, si- cut pax bello.

Et quis, nisi minus expertus, refragabitur : Reipublicæ interesse, Imperium in domo Principis continuari?

Arduum ac nimis subjectum fortunæ est, si rixis & contentionibus de Regno, & privatorum hominum insolentiæ janua aperiatur.

Hactenus nunquam cum quiete transactum est; ubi à Regia familia transiit Purpura in privatam.

Insolescunt successu scelera, & gloriантur, per funera & exilia Regiæ stirpis, inscendisse thronum.

Quatuor præcipue fontes, unde e-

manant regnantium vitia, asseverant Plato & Aristoteles inter Philosophos; Salustius & Tacitus inter historicos.

Nimia licentia primus fons est. Id tibi Princeps gloriæ ducas, ut cum omnia possis, non tamen nisi laudabilia velis.

*Qui de regno licentiam aucupatur,
non se Regem noverit, sed Tyrannum.*

Quis enim tulit illam legem de licentia Regum? non lex naturæ, quia ignotum tunc Regis nomen.

Non lex divina, cui illa repugnat. Non lex humana, quia homines in obsequium nati, totam tamen servitutem non patiuntur.

Minor licentia est Principis, quam privati hominis. Non mihi Rex est, qui non melior & justior est omnibus.

Nulli minus, imo, quod olim licuit, jam Regi non licet.

Jussia Principum non habent eatenus auctoritatem & æstimationem legis, ut etiam aliquid contra Jus naturæ, aut divinum jubere possint ac fancire.

Gra-

Grave est nomen absoluti Imperii: atque id etiam in mitiore Principis genio metuendum venit.

Neronis initia optima, postea quam dominandi licentiae assuevit, finis pessimus.

Temperamentum suggero: Optimo quidem Principituto permitti posse omnia; at bono non omnia; malo autem plane nihil.

Alter fons est, Ministri perversi, & adulatores. Ex innocentia quippe in improbitatem prolabitur Princeps, improborum consuetudine.

Perfarum Ministri, cum Cambyses quereret: an lex aliqua prohibeat matrimonium cum sorore? Contra omne Jus Gentium suasere: Nullam quidem legem se reperire, quæ permittat fratri cum sorore matrimonium; reperisse autem aliam legem, quæ permettat Regi Perfarum facere, quæ velit.

Adeo leges, corruptis moribus, ludibrio sunt.

Adulatores Aulici semper id per omnia

mnia Sacra & dira jurant, justum esse, quod à Rege Subditis præscribitur, licet naturale Jus, & pudor ultiro condemnaret.

Quibusdam omnia Principum, honesta & inhonesta, laudare mos est: dicebat Tacitus.

Vultum nimirum & verba Scenæ; habitum præsenti fortunæ convenire omnino debere, existimant.

Adeo semper magnæ fortunæ comes est adulatio.

Sanctum publici Boni nomen, multis sceleribus obtendunt; quasi utilia Reipublicæ, hoc ipso honesta essent.

Tanta est persuasio nominis Reipublicæ apud Ministros perversos, quasi omnia pro ea perpetrata, ex ipso incremento aut voluntate Civium, Republicam augere satagentium, sacra-tissimum Juris honorem accipient.

Pessimum Veritatis venenum est adulatio: ideo sicut illa ab aulis exulat, ita hæc ibi primas tenet.

Regium illud à Ludovico XI. Veritas,

ritas, quam Pater meus animam agere dicebat, ego vero, & quidem intestatam, mortuam esse puto.

Antigonus sacrificia immolabat, ut effugeret adulatorum laqueos, inquiens: Hostes cum cognosco, mediocri diligentia caveo; at ab amicis fucatis & perfidis nequeo mihi ipse cavere, DEO protectore opus est.

Ita est, mi Princeps! Vix, nisi divino scuto, obteges animum a Ministrorum perversorum lenociniis, & infidiis.

Sed tua culpa, qui ad jucunda lætaris, ad gloriofa evanescis, quantumvis falsitate scateant.

Vis non falli? Conscientiam tuam expende magis, quam adulatorum encomia. Solius Conscientiae tribunal nullis verborum technis circumscribitur.

Væ autem vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum. (p) Væ dupli corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis. (q) Per terram intelligit Vatablus Aulam,

(p) Esa. c. 5. Syr. c. 2.

Ter-

Tertius vitiorum fons, divitiae plurimæ; quibus abutuntur Regnantes non in Salutem publicam, sed in pessimos usus & fines.

Ex hoc fonte redundant fastus, æmulationes, injusta bella, avaritia, prodigalitas, ingluvies, libido, & centum talia, quæ prostituunt Principem, & communem egestatem inducunt in patriam.

Ubi Principem cogit necessitas ad amplificandos redditus, infinitus ipsum impetus capit, ait Malvezius, adhuc longius, adhuc latius dominandi.

Nemo bellum suscipit, ut opes comparet: sed opes bello consumit, ut ambitioni & æmulationi satis faciat.

Divitias imperant Principes, sed magno sudore & labore eas comparant Subditi: Illæ nerui sunt Reipublicæ, non tuarum voluptatum illex, aut morionum & adulatorum merces, aut incentivum injustitiae & ambitionis.

Aurum adulterinum existima, si cum Subditorum lachrymis collectum est.

Non

Non tibi liceat in privatos usus conferre, quod in publicos destinatum est. Sequetur imperii dissolutio, si præstationes, quibus respublica sustinetur, in vanitates expendantur.

Pompa Aulicorum & fastus in humeros populi recidunt; & quæ ab illis in luxum profunduntur, damna & calamitates sunt pauperum Civium.

Divitiarum & publicæ pecuniaæ, non ille fructus est, profusio; sed dispensatio in communem Subditorum utilitatem.

Ditare magis Regium est, quam distescere.

Nihil gravius fert populus, quam si tributa sua in usus inutiles insumi intelligit; & quæ suæ sit necessitas, ea cessante continuunt.

A magno viro Coimæo veritatem audi: Nemo est omnium Principum, qui Jus habeat, vel teruntum unum exigendi à suis, præter constitutum annum censum; nisi cum Clero & Nobilitate Populus assentiatur.

Quartus fons, ignorantia videlicet rerum publice gerendarum, ignaviam metum, contemptum, odium evomit in Principem.

Regem ignorantem, dixit Franciscus I. asinum coronatum. Perditur Respublica non minus asino, quam Troja quondam equo.

Plato optavit magis Tyrannum sapientem, quam Principem optimum, sed ignorantum rerum publicarum.

Aristoteles dixit: Sub stupido Principe plurimi nocent Reipublicæ, sub Tyranno unus ipse.

Omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt; sed ubi Imperium ad ignoratos, aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis & indoneis, ad indignos & inidoneos transfertur.

Indignantibus amicis, quod Alexander Corinthi Diogenem accessisset, memorabile illud edixit: ni Alexander essem, Diogenes esse vellem.

Unicum malum inscitia, unicum bonum Scientia. Nul-

Nullus est, quem oporteat vel plura vel meliora scire, quam Principem; cuius doctrina omnibus debet professe subjectis: ait Vegetius.

Male agitur cum Domino, quem vilius docet: pejus cum Principe, quem regere debent Subditi: pessime cum Imperio, ubi ejus penes multos est arbitrium. Omnia licent magnis, Principe ignaro.

Non recte medetur corpus sanabile Medicus, cuius temperamentum non cognoscit: nec Princeps valebit professe regno suo, cuius incrementa & decrementa, potentiam, vires, opes, & leges ignorat.

Ignorantia in Regnante est pestis illa, qua se ipsum inficit, occidit multos, corrumpt omnes, dispellit amicos, terre facit Subditos, & enervat Status.

Ignorantia præcipitat consilia, temere suscipit bella, male dispensat opes: dolor est amicorum, ludibrium æmularum, fabula Subditorum; & chaos viatorum omnium, si accedat licentia.

Idem

Idem est, imprudentem ac ignorantem esse; uterque semper male de rebus judicat, & deliberat pœjus: cum Justitiam administrare cestit, prolabitur in crudelitatem, ex magnificentia in profusionem.

Ignorantia conjuncta potentiae, præter temeritatem, inconstantiam, injuriam, arrogantiam, etiam nunquam capax est boni consilii, quia vel nimium credit, vel plane diffidit.

Nulla re facilius deperdit Princeps authoritatem, ac ipsum Statum, quam incapacitate regendi. Cum enim multis sibi substituit, dissolvit Principatum, qui unitate regiminis continetur.

Suspicaces sunt semper Principes ignorantibus: quia contemptibiles sunt, sem per se contemni putant. Neque fallar, si dixero: Scientiam in Principibus magis formidari, quam potentiam.

Inter majores pœnas, quas justus Deus infligit Mundo, est ignorantia Imperantium; ita vaticinante Ezechiele: Dabo te in manus insipientium.

Porro

Porro regnantis non tantum est, illa agere, quæ ex regio suo munere debet, sed etiam illa cavere, quæ ejus tam personam quam potestatem dedecent.

Omne nimium in Principe vitiosum est: sive ille sit impius, sive nimis vel aniliter pius (optime enim orat, qui pro republica laborat.)

Sive in Spiritu Eliæ feratur, sive Zelum mollem aut tepidum habeat: sive cunctetur usque ad ignaviām, sive præcipitet negotia usque ad temeritatem:

Sive se retrahat cum Tiberio usque Capreas in solitudinem, sive vagetur cum Nerone per compita, & prostibula.

Utrumque minime Politicum est, aut omnibus omnia credere, aut diffidere plane omnibus: aut nemini quidpiam committere, aut uni omnia.

Regium non est, nunquam parcere, aut semper: totam Subditis adimere libertatem, aut totam permittere: semper accipere, nunquam dare: pœta non pacta; non pacta, pacta velle. Sive denique remittere à potestate sua, sive illa abuti.

Nulla

Nulla possunt dici justa, quæ nimia sunt: Nulla utilia, quæ non honesta: Nulla honesta, quæ Virtuti repugnant, & rationi.

Virtus tantum complectitur media: & in medio semper vis, vigorque rerum omnium est. Extrema inclinant in deterius.

Omnia igitur extrema cavebit Princeps Sapiens; & statèram tam Virtutis, quam Potestatis tractabit ex æquo & justo.

Excessus omnis in genere moris, aut illi super invehet contemptum, aut odium suorum.

Privatis hominibus satis est, nihil delinquere: Principibus ne quidem suspectis esse licet. Dicebat aliquando sapiens illa Livia, ad Augustum maritum & Cæsarem.

Non satis est, aut videri, aut esse probum; sed esse talis & videri debes. Scias, non te magis latere, quam Solem.

Difficile est Subditis, Principem habere, sub quo nihil ulli liceat; pejus;

ius vero, eum, sub quo omnia omnibus..

Cave ne, dum malis ignoscis, perdas bonos.. Sed nec minus caveto, ne adultis vitiis impar habearis..

Potestas ipsa Regia, etiam inter extrema ignoriae & crudelitatis, media consideret..

Cum primum in illa sive excedes, sive declinabis, vel tuorum eris fabula vel hostis: non amplius Princeps, sed servus vel Tyrannus: ille ex vilitate, iste ex abuso & usurpatione..

Potentia una cum Principibus nascitur; non Sapientia. Hanc licet conjectari, illam moderari debet..

Fugiebat studiose Ludovicus XI. doctrinam, nec ea Delphinum imbui voluit, quia existimabat, sibi illam imperaturam, intento immodece artibus nefariis Status, quas ille in omni vita exercitabat..

Summum Jus & summum Imperium, est summa injuria, & summa crux.. Ita antiqui dixerunt..

Utt

Ut non utendum imperio, ubi legibus transfigi potest: cogita non quantum tibi commissum, sed quantum tibi permisum.

Rigidius imperanti inviti animo sunt ad obsequia Subditi, licet veloces opere: remissius autem jubenti paretur melius; quia animo & opere.

Potestas Regia, quæ super homines quidem, hominum est tamen. Memineris te Regem esse, & hominem.

Regem etiam & civis, & servus, & satelles, & serpens, & sagitta, & cicuta occidit, quia unus & homo est.

Quodnam Regnum est, ajebat Sene-
ca, cui parata non sit ruina, & procul-
ratio, & Dominus, & carnifex.

Ac sæpe quidem præter opinionem & ipsam possibilitatem. Quis aliquando somniasset, ab Anglis occupandam totam Galliam? & fuit: aut à Gallis Hispaniam? & est: aut olim à Scythis, Vandalis, Gothis, Longobardis, meliores Europæ partes? & erant.

Jure timeant illi Principes, quorum
præ-

præsidium adversus Subditos est solus
ensis. Suæ etiam populo manus
sunt, & unicum Principi caput. An-
glia, & alia non pauca Regna, etiamnū
erubescunt ejusmodi tragœdias

Ad minus, mi Princeps, si vi Regnum
occupasti; abstine deinceps à vi, nisi
vitua perire velis.

Divini aliquid Princeps habet, ubi
timeri vult, ut nos bene agamus: è
contra plus Diabolicum (asserebat Vir
quidam magnus) ubi metui propterea
vult Princeps, ut ipse male agere possit.

Nec exercitus quidem (idem dice-
bat) illum Principem defendet, cui de-
fendendo non sufficiunt pauci. Pauci
autem sufficiunt, ubi est amor multo-
rum: Multi tunc pauci sunt, ubi odium
omnium in amoris locum succedit.

Idem ensis, qui in Imperantibus tute-
lam obstringitur, in imperantem strin-
gi potest, ubi ejus avaritiam expugnat
hostis liberalitas.

Malus Princeps aliquando à Magna-
tibus vult provocari: suggerit causas

ut offendatur, lætatur propter acceptas injurias, ut eas ultum eat. Si nullas invenit, ipse sibi fingit. Omnia videlicet in praetextum justæ indignationis.

Non ita bonus Princeps, qui ad iustam vindictam nunquam miscet dominandi, usurpandi, aut rapiendi, libidine.

Vera enim causa multum differt ab apparenti: libido illa ad res & fortunas spectat, vindicta ad personas.

Natura Jus commune generavit; usurpatio Jus fecit privatum, ait D. Ambrosius.

Pessimum Periandri ad Thrasybulum consilium, quod deinde Tarquinius filio suo Sexto sciscitanti, quid ageret, ut non minoris authoritatis Gabiiis Sextus, quam parens Tranquinius Romæ esset; non tam verbo dedit, quam facto ostendit.

Rex siquidem veluti deliberaturus, in hortum abiit, in sequente nuntio filii, ibique summa papaverum capita, ipso spectante, baculo decutiebat.

Non haec Laconis sunt consilia, non ex-

ex tripode oracula; Sophismata vero sunt Tyrannidis, ex inopinato facilia, successu difficilia, eventu semper infausta. Quis vidit Tyrannum senem? quis seram ejus in Throno progeniem? Nemo, nemo, ait Thales: idemque testatur à sæculis experientia omnis.

Si cypresso, inter arbores primati, rescas omnes frondes, tunc manebit: Si aliquas & superfluas, si indignas & vermiculosas; amplius virescet. Ita & tu crede de Regno tuo, ejusque Optimatibus.

Tantam crudelitatem, & publicæ rei amaritudinem, norunt mali Principes, velut Pharmaceutæ pilulas, à quibus abhorret gustus infirmi, auro obtegere.

Sextus ita egit: bona nimis interemptorum & exulum inter plebem & populum dividens. Qua privati commodi dulcedine sensus malorum publicorum adimebat; donec tandem de libertate Gabinorum actum fuit.

Oppressa libertate, pietatem in Divos (Iupus in pelle agnina) induxit, &c

in monte Tarpejo Jovi templum sacravit; quasi Diis grates redditurus pro sceleris fortuna.

Tyrannorum istæ artes sunt, populum sibi devincire per oppressionem optimorū. Ille enim populi genius est, ut non facile offendì queat, si bene habeat.

Plebi semper similitates sunt cum Senatu, & Magistratibus Regni. Nec offenditur eorum oppressione, sed devincitur maxime, si in partem prædæ vocetur.

Hoc difficile est Principibus, quibus cordi est Nobilitas, velut robur Regni, & Proceres in amore, velut arcanorum consciī.

Principes cum Nobilibus facile, non ita Tyranni conveniunt: istis obnuntur illi clam vel palam, & æmulantur. Difficilius autem Principes cum plebe, facilius Tyranni. Boni autem Principes cum utrisque.

Et ego obsequio Principes illos indignos reor, qui ignorant artes, quibus sibi populum obstringant.

Gravissime lædunt Rempublicam Regnantes, si privatorum commoda habeant ante Bonum publicum.

An præstabat unum Jonam servare (quem fatō divino jam hians exspectabat balæna) quam universos remiges, & tot hominum vētricem navim, naufragii periculo subjicere?

Leges majoris faciunt salutem omnium (in quam unice collimant) quam fortunas & vitam cūjuscunq;: ita Princeps errabit insigniter, si eandem cum legibus semitam gradi noluerit.

Rex ex integro non est, qui particulare sensu ducitur, ubi ratio publici pericitatur: aut enim timet, aut injuste agit. Neutrum Reges decet.

Ira Principum semper gravis est & feralis, quia authoritate pollet. In privatibus illa jaculum, sed fulmen est in Regibus, obvia quæque comminuens, sine respectu.

Magni Viri habent ardenter iram: & hæc tanto implacabilior est, quanto superior.

Felicitas iracundiam nutrit, ubi aures
superbas assentatorū turba circumsepit.

Ira justitiam non operatur, sed cor-
rumpit. Neoccidas, mi Princeps, dum
ira sceleris. Non erit Justitia, sed homici-
dium; non corriges, sed opprimes.

Proverbum quidem divinum est:
Sicut fremitus Leonis, ita & Regis
ira: & sicut ros super herbam; ita &
hilaritas ejus.

Excandescens Principis animus, si
immitius tractet suos; licet statim de-
ferveat, suisque se blandum reddat: eit
tamen certissimum prognosticum, ex hac
ipsa facilitate citius cononeri Subditos
in machinationes contra Principem.

Si juste irascitur Princeps (irascimi-
ni enim, & nolite peccare, admittunt
Sacré litteræ) iram tamen recondat,
& Justitiam obtendat: Legis tam ob-
tentu, quam præscripto procedat: ne-
que sæviat, sed puniat.

Certissimum est, in Principe vulgo
magis observari iram, quam in privatis
furorem: & hunc magis in illo, quam in
his væsaniam, sive amentiam. Non

Non distinguunt in Imperante iram
injustam ab iusta, sed tantum culpant
iram ipsius.

Silentium obstinatum, fixi in terram
oculi, surdæ ad omnia solatia aures,
& pudor intuendæ lucis; ingentem
molem irarum ex alto animo crientis
Principis, indicia sunt.

Accedunt verba horrida, jussa im-
portuna, consilia crudelia, præmatura
Supplicia, immeditatae resolutiones, ab-
rogationes, & mille talia, quæ sedata
ira aversatur animus, detestatur ratio,
& erubescit Regia dignitas.

Saulem contemplor Davidi infen-
sum: furentem magis, quam iratum:
collidentem dentes, mordentem labra,
exasperatum fronte, ore spumantem,
naribus fumantem; exagitatum ali-
quoties interdui à dæmoniò: Sica
promptum in cujusque cædem. O
quam turpis isthæc in throno figura,
aut bestia magis.

Contemplare etiam facta: Ille qui-
pe ob Davidem, quem infense oderat,

quia apud Abimelechum fugiens ille in hospitio fuisset, Regiae irægnarum, non solum hospitem ipsum, sed Nobeam etiam hospitalem urbem incendit, civibus omnis sexus & ætatis ferro deletis. Fuitque miserabilis illa eo calamitosior, ait Sabellicus, quod quinque & octoginta Sapientia & divinatione illustres Viri, Abimelechi innocentis causa, per iram Regis Saul ~~extremo~~ fuerint affecti suppicio.

Ira Regnantium implacabilis in desperationem agit Subditos ; quippe qui nullam gratiam, nullamque exactatem, aut veniam sperare possunt, in machinationes se præcipitant, cum periculo Status.

Eodem argumento, quo Aristoteles Alexandrum, ego te placabo, mi Princps : Excandescens & ira non in impares, sed in meliores existere solet : tibi vero nemo par est. An Leoni dignum irasci Lepori?

Pacis negotia nunquam renue, licet etiam parva fuerit spes, ea concludendi. Prin-

Princeps pacificus in amoriibus est suis & externis; encomium, si non aliud compendium, lucrabitur ex illa pacis promptitudine.

Verum accedet & compendium: hoc enim pacto liberum tibi erit, ad hostem mittere, qui sub umbra negotiorum rimabuntur hostis consilia, & tantum quantum penetrabunt.

Plutarchus inde laudat Annibalem, arte hac contra Scipionem exercitatis- simum: Cujus orationem eleganter exponit Livius.

Non tamen ejusmodi serviant in laqueos & insidias: quia sagitta vulnerans lingua eorum, pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit insidias: dicebat Jeremias Propheta.

Stabilius sedantur iræ Regum, cum offenditionibus nondum abolitis, personalia inter eos impediuntur colloquia, & transactiones injuriarum Ministris eorum, nihil privatim lœsis, committuntur.

Firmius dissolvuntur bella, cum æ-

quales adhuc pacem faciunt, non quando altera pars plura obtinens, alteram cogit pacis conditiones petere aut accipere: sed cum modeste offert pacem, etiam dum potest pugnare, & vincit moderatione atque mansuetudine, præter expectationem.

Interim in tractanda pace temperet sibi Princeps, ne ejus adipiscendæ desiderio nimio feratur: argumentum quippe esset exiguarum virium, & novarum hostibus ansa molitionum; ut advertit Salustius.

Pacem tunc extorquent Principes honestam, cū Palladem habent armatam.

Bellum ostendite, pacem habebitis: videant vos paratos ad vim, jus ipsi remittent. Vox erat Manlii Capitolini ad suos.

Nunquam ita arma ponebant Romani, ut non mentem retinerent armatam; neque inibant pacem, quam non ferro extorquere valerent.

Porro Principes nunquam deficiant in iis rebus, quibus sibi pepererunt famam,

mam, existimationem, gloriam & amo-
rem populi.

Mutentur quamvis tempora, non illi mutentur in illis.

Non ut pulvis aut paleæ ab omni au-
ra & vento, sic Regios animos rapi à
quacunque vicissitudine convenit. Ra-
tione eos figi, famam respicere, eun-
dem vitæ tenorem sequi oportet.

Imperiorum initia ferme bona,
media & finis inclinant. Quis Ne-
rone melior primo quinquennio?

Tiberius in statu privato, vita famaque
eximius; alius mox sub Augusti Imperio: fingebat se quippe in Virtutem.
Alius, quoad Germanicus & Drusus vivi-
verent, quos colebat palam, clam æmu-
labatur: alius superstite matre Liviâ:
post ejus fata plane alius, videlicet infa-
scinatus amore & formidine Sejani.
Postremo in scelera simul & dedecora
prorupit, postquam remoto pudore &
metu, tantum suo ingenio uteretur. De-
scensus iste ex Solio est, non ascensus.

Euripides exprobrates Agamemnon,

quod post adeptum in Græciæ Regulos imperium, multum ab insito more deflexerit, non amplius popularis & humilis, sed in amicos asper, aditu difficilis, fastuosus & tumidus.

Profecto boni viri non est, in summis rebus immutari: præsertim ex bono in malum: hoc enim vero est abiuti fortuna, sibique parare præcipitum; ut ferme contigit omnibus illis, qui spe præsentium morum, fefellerunt futura exempla.

Ingrati sunt datori DEO Principes, qui ex potentia & Authoritate Regia sibi tradita, plerumque in vitia deflecent, adeo ut ubi plus potentiae, ibi ferme plus sceleris sit.

Non ea vobis opinio sit, Legibus & ratione minui Majestatem, nisi pro lubitum vivatis: aut ad vulgi sortem descendisse, nisi multa supra vulgus tentetis. Non tam vulgi est bene vivere, quam vestra exempla sequi.

Maligni judices id esse Regni maximum pignus putant: Si quid, quod aliis non licet, Regi soli liceat. Fal-

Falsissimum esse illud crede in gene-
re moris. Ita quidem Imperantes, su-
periores sunt omnibus potestate recte
regnandi; sed pares plane obligatione
Deo, rationi, honestatique parendi.

Amorum quoque Principes ferven-
tissimi sunt, & brevissimi. In poten-
tissimo omnium affectu maxime im-
potentes.

Variant amoribus, falluntque hone-
stissimas olim matronas: & ideo o-
mnis brevis illis amor, cum existiment,
ubique sibi amare licere.

Quanti, ut mererentur gratiam, pro-
stituta propriethori fide, substrauerunt
proprias Regibus fœminas, terque qua-
terque turpiores mariti lenonibus.

Otho sive amore incautus laudavit
formā elegantiamque Consortis apud
Neronem, sive ut accenderet, ac si
eadem fœmina potirentur, id quoque
vinculum ei potentiam adjiceret.

Erravit miser: quia cum placeret
Principi fœmina, mox dejectus est O-
tho familiaritate pristina Cæsaris, &

congressu solito. Postremo ne in Urbe æmulatus ageret, procul hinc provinciæ Lusitanicæ præficitur.

Sic extorris Urbe, gratia, uxore, reatus meritam pœnam tulit infelix, proprii thori leno.

Nolunt Regnantes in oculis pati voluptatum suarum æmulos, participes, & consciens.

Mali Principes, ex promptissimo suorum ministerio diffidentiam concipiunt.

Nec solium, nec lectus; nec socium nec æmulum patitur.

Sino hic Sardanapalum, Ninum, Antiochum, illa Regum portenta: Sino Neronem, Vitellium, Romanæ Majestatis dehonestamenta: Vos melioris ævi Principes compellat Lacon, & breviter.

Derelinquam, ait Dominus, populum meum, & recedam eis, quoniam omnes adulteri sunt. Terrible verbum hoc, à DEO derelinqui!

Sed ita est: Cogitate, mei Regnantes, innumerabilium casus miserabiles: non

non modo singularium Principum, sed Urbium & Regnorum excidia cruenta & horrida.

Hæc etiam Vos manent: nisi reddideritis uxores viris suis. Si autem nolueritis reddere: scitote, quod morte moriemini Vos, & omnia quæ vestra sunt. Non tam ex Apollinis tripode, quam ex Sacra Genesi fatur Lacon.

Inter duo præcepta, Non occides, & non furaberis; medium est, Non mæchaberis: quasi inter duos apices facinorum eminentissimos, maximum consideret adulterium: vel regulariter conjunctum esset crudelitati & avaritiæ.

Hoc vitium, quam primum distracti populi in unum coaluerunt, omnes oderunt, gravissimis in illud statutis suppliciis.

Leges Veterum inspicite: quam graves, quam acerbæ, quam paratae contra adulteros! nulla gens propemodum fuit, quæ hoc vitium non

352 Cap. V. quæ Principem agere,
non abhorruit, aut impune habue-
rit.

Ne tamen glorientur in licentia sua
coronati Vértices, legibus ac pœnis
omnibus soluti: alius vester ultor est.

Summitates plerumque petunt è
Cœlo fulmina, & quo conspectius
est in vobis scelus, feralius puniet
DEUS.

Ex Principum libidine, prolapsæ sunt
Monarchiæ, aut mutatæ; eversa Re-
gna, & Imperia.

Sardanapalus, omnis Asiæ Dominus,
sicut variis libidinibus accenderat to-
tam Monarchiam; ita ille primus o-
mnium, cum pellicibus suis incinerari
debuit, ne amplius succenderet.

Invictum armis Annibalem, luxuria
Campaniæ illecebris complexa, vin-
cendum Romano militi dedit.

Antonius Orientis olim terror, suc-
cubuit Cleopatræ amasius, amissa plus
tertia orbis parte, atque ad extremum,
vi sibi illata, male conscius insanæ tur-
pitudinis suæ.

Da-

David Rex ab Absalone proprio filio pulsus est Regno, propter raptam Uriæ conjugem: trucidata multa milia Civium, contaminatæ sanctæ matronæ.

Urbs Troja solo æquata fuit, Principes occisi, abductæ virgines; idque propter Helenam Menelao raptam à Paride.

Ob violatam Lucretiam, mutatus est status Reipublicæ Romanæ, ex Regio in popularem, extincta Regum omni memoria.

Plures libido perdidit Principes quam crudelitas: quia crudelitate Subditi perterrentur: at libido non modo Subditos ad odium, verum etiam ad contemptum excitat; cum intelligent, Principem voluptatibus redditum impotentis animi esse, nec Imperio dignum videri, qui sibi non possit imperare.

Nemo constanter eum Principum amat, cui pudor & innocentia odio est; dixit ad Theodosium Ambrosius.

Quis

Quis effeminatum verebitur? quis
desidi libidinis mancipio serviet? quis
parebit sui impotenti?

Exulant Reipublicæ curæ, jacent
negotia Status, vacant Heroicæ ex-
peditiones, ubi Regnantis mentem
Venus occupavit. Effeminatus ani-
mus odit seria, & difficilium cogita-
tiones mollis voluptas non admittit.

Princeps Veneri mancipatus vivens
non vivit, quia lethargo Venereo so-
pitus nihil agit Regium; delitescit in-
ter Gynæcea, & scorta, & ex uno vo-
luptatis fortunato successu novas sem-
per meditatur libidines.

Principes adulteri pertinace febre
laborant, quia communiter recidiva,
tam ob licentiam nulli subjectam,
quam teneritudinem sensus; quia quo
nobilior quispiam est, eo sensibilius.
Amant dum quoque, dicebat ille; qua-
si in plebeja ingenia nunquam tantus
amor caderet, quam in Regia & Il-
lustria.

Ad Chilpericum Franciæ Regem
ob-

obstupescet, vel exhorrescat! Is propudiosæ Fredegundi victimam primam dedit conthoralem suam Andovenam, cum gemina prole mascula: alteram Glascondam Infantem Hispaniæ. Sic extra naturam libido coegerit Chilpericum, ut duas Reginas, totidemq; Regios, in Holocaustum offerret Veneri. Tertiam sacrare non potuit, præventus à Fredegunde uxore adultera, ipse victima illi cadere debuit, cui tot Regias victimas devovit: sublatus est enim ab illa.

Nunquam ex integro sanatur libido, cuius est replicatus usus: inciditur aliquando, raro excinditur: Illudque certum, Regios animos nullo alio affectu ad magis detestanda impelli, quam libidine.

Adulterium commissum à Principe contra unicum, sat virium habet commouendi omnes.

Offensus à Principe Subditus in honore thori, cum facile regressum non habeat, tacente ad ejusmodi Justitia, obmu-

obmutescit ipse quidem, sed animo
meditatur Regicidium, cicutam &
quidquid desperatio terribile sug-
gerit.

Propterea Florentius Hollandiæ
Princeps, à Velsio nobili Batavo, &
Fridericus à strenuo viro Potendorf-
fio, & quam plurimi alii Principes à
suis ipsis in honore offensis, aut præ-
mature cæsi, aut objurgati palam, aut
plane Regnis exuti.

Tu Tu, mi Princeps, Alexandrum
sequere: qui cblatam Amici tan-
tum concubinam, ne quidem intueri
voluit, objurgans propudosum su-
orum ministerium, contra leges ami-
citiæ.

Aliud sæculum nostrum agit: & e-
go jam calatum abstraho: ut non
Orator, aut increpator, sed Lacon
finire videar.

Plurima igitur prætereo: quia tam
arduum est, præscribere Principi uni-
versa, quæ agere ipsum, aut non a-
ge-

gere deceant, quam futura omnia
præscire.

Unicam addo regulam, quæ fer-
me complectitur omnes, videlicet:
Si ea, mi Princeps, quæ alio im-
perante tibi fieri velis, ipse ultro fe-
ceris.

Ex hâc Regula, talem te præstabis
Principem privatis, qualem optares
ipse privatus.

O legem brevem, sed sensatam!
Unde omne punctum feres: Ejus si
custos nunquam deflectes: Omnia ad
votum tibi cedent: Eris amor & de-
liciæ populi tui: Externis periculis
semper sufficiens, à domesticis liber
longam trahes ætatem: eritque felix
tibi Vitæ Finis, &

CAPUT ULTIMUM.

UNICUM adhuc solumque quod præterire nequit Lacon, incidit calamo. Finis videlicet vitæ Regnantis.

Scribam; sed tua venia, mi Princeps! nam etiam summi Gubernatores & navarchi, in magnis tempestatibus, a suis vectoribus admoneri solent.

Quæ autem major tempestas, quam mortis tempus? quam lustralis cereus jam jam ab Aquilone extingendus? quam denique finis vitæ?

Noli huic tempestati confidere: momento mare invertitur: Eodem die, ait Seneca, ubi luserunt nava, sorbentur.

Principes tum maxime DEUS eripit ex hoc mundo, vel evertit, cum magna moliuntur, sibique videntur felicissimi: ait quidam Anonymus.

Perpende nunc mensuras & lineas
in-

incomprehensiliter desuper tensas, & tanto magis curva & demitte te, quanto certius pendere vides omnia in potestate mensoris.

Ab hoc acceperisti Imperium: iste circumscriptis omnem tuam potestatem: Huic brevi rationem redditurus es Regiae villicationis.

Jam tibi sapientiores sunt cogitationes, licet posteriores; quam fuerint anteriores.

Turpe tibi fuit in vita labi, relabi-que in malum: turpius prolapso indurescere in malo.

Numera annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueris. Moriantur ante te vitia.

Audio te jam lugentem? Noli mihi Lacon compati, quod sim Princeps senex; sed compatere, quod juvenis fuerim.

Ita est, in freto viximus juvenes, mori senes optamus in portu. Magnum tamen nunc periculum est, magna olim fortuna.

Si

Si fortuna Principi valedicere getit, satius est Principem illi valedicere.

Delirant; ait nonnemo, qui traducunt extrema vitæ in publico.

Prudentis Principis est, prævidere injurias & contemptum ætatis, & subducere se illis, antequam eveniant.

Sed durus iste sermo, durior tanto magis, quanto Regnum (in laboribus licet) dulcior bonum est.

Interim verissimum est, quod Principi decrepito pereat Authoritas, & justa spernantur ejus, quia non putantur ab illo proficiisci.

Augustus Cæsar, ætate validus, totum Orbem in pace conservare novaret; postea ne familiam suam callebat regere.

Feliores in hoc Carolus V. & Philippus II. Pater & Filius. Ille in lectica magnos ducebat exercitus: iste in lecto Regna administrabat plurima, & unum quasi Mundum.

Ille

Ille tamen in tempore abdicavit Regna & Imperium, non iste: moriens tamen fassus est: Nil aliud conferre Regem esse, nisi quod in morte cruciet, fuisse.

Ita nimirum: rarus usque ad Plaudite vixit: & devixit nemo benè, nisi justus Princeps, pius, fortis, temperans.

Qui non per cædes ascendit ad Solum, nec alieno sanguine, nec rapinis Civium, miserrimorumque saginatus.

Quem non Mars urgebat ad arma, sed sacra Themis, & bona causa.

Qui ara fuit publica, ad quam communia populorum vota felicitabantur: quivè Authoritatem & vires non in se circumferebat, sed à suorum subditorum affectibus accipiebat.

Cujus consilia non solum rationibus Politicis onusta, sed à Cœlo moderata, comitata.

Cujus vitæ actiones censura fuère malorum, & proborum doctrina.

Q

Cujus

Cujus magna pars felicitatis erat, felicitatis sensu non tangi, ac illâ minus uti, quam poterat.

Qui non plus lucrum æstimabat, quam jacturam fidei.

Cui ita agnata fuit utilitas populi, ut hujus semper magis, quam suis va- caverit.

Quem nec irata potentia, nec per- tinax ultio unquam in transversum egit.

A quo sicut Leges & Justitia in alios, ita ab illis potestatis suæ definitio.

Qui nec exhausit æraria, nec enervavit subditos ; sed amore firmavit Imperium ; & abiturus è vita in pace reliquit id ipsum.

Eiusmodi sunt declinantis Princi- pis solatia, & decedentis optima suf- fragia.

Nervæ Imperatoris vox illa erat : Nihil se fecisse, quo minus possit, de- posito Imperio, privatus tutò vivere.

Vidi Principes multos cum maxi- mâ curâ vixisse aliis, sibi parùm : alio- rum

rum curasse, suos neglexisse mores :
Mundo omnia, animæ nihil, aut mo-
dicum reliquisse.

Quanti in lecto mortuali atheisant !
ita videlicet : Sicut corpus, sic etiam
mens suum habet senium. Non se
tunc recolligunt, qui se nunquam in
omni vitâ recolligere voluerunt.

Conscientia mali, ne torturam sen-
tiat, contemnit omnia, & nihil cre-
dit.

Age Princeps ! adproperat Parca :
stringit forficem : actum est de filo
vitæ tuæ.

Longam moram dedit : multa jam
tibi transiere lustra inter solium & so-
lum, inter Purpuram & Libilitinam.

Gratulare tamen : Senex es ? Ergo
non Tyrannus ; quia in folio rara avis
senex Tyrannus.

Fors cum Evandro suspiras ? O mi-
hi præteritos referat si Jupiter an-
nos ! Sed nil tale suspirantem legi So-
cratem, nil Platonem, nil Catonem :
& fuere senes. Sed sunt, fateor, Sa-

pientes Regibus rariores, ait Petrar-
cha.

Exulta : Successorem habes de
domo tua, de carne tua ? Vives in
illo, si recte illum vivere, si regere
docueris?

Doce : Ut melius regnet, quam tu
regnasti : Ut vè tuus error hesternus,
sit illi Magister hodiernus.

Ut sub Regni mole non quærat oti-
um, nec inter civium calamitates suas
habeat delicias: nec vi attentet, quod
jure potest.

Ut imperet, non gravet : corripiat,
& non lædat: plecat, & non exasper-
ret : condemnet, & amet : Ut dici
amor & deliciæ generis humani me-
reatur.

Ut in excelsò positus, velut è spe-
cula excubias agat, ne perrumpant
Ovilia lupi, hæreses & hæretici.

Ut hoc maximum Regiæ mentis
decus esse credat, si voluptates suas, a-
liosque affectus, in tanta potestate ha-
buerit, quanta cives suos.

Ut

Ut ægros non tollat, sed morbos :
non homines, sed vitia.

Ut nullum pretiosius Majestatis or-
nementum quærat, quam lenem Po-
tentiam, & clementem victoriam ;
media potius, quam extrema consilia :
Amicos magis, quam hostes vicinos :
proborum, præ improbis familiarita-
tem : pacem, quam bellum : Amo-
rem, quam metum.

Regem denique, Principem, Cæsa-
rem nihil aliud, quam munus publi-
cum existimet, Domiinum se non esse,
sed Ministrum DEI, redditurum ex-
actè rationem publicæ villicationis,
paratâ jam per omnem æternitatem
pœna, vel mercede.

Felix ! si, quâ hæc docuisti verita-
te, eâ exceperit hæres tuus fide & imi-
tatione.

Age num : Effatum est divini sapi-
cientis : Rex hodie est, & cras mo-
rietur.

Luctare nunc : In extremis quippe
vitæ bis peccare non datur.

Mors mala esse nequit, quia mori naturale est: omnia autem naturalia non possunt non esse bona.

Stoicum hoc videtur, sed magis illud Christianum: Mors bonis non est mors, sed vita; malis autem est mors transitus de morte in mortem.

Multum debet Politica morti: cuius timor compescit Principes sceleratos: & spes melioris vitæ in ordinem redigit Imperantes, ne abutantur ætate in malum.

Et reverè nihil æquè proficit ad moderationem vitæ, rerumque omnium temperantiam, quam meditari breve incertumq; vitæ humanæ ævum.

Jam ad extrema venisti: quid generis tui sortem luges? ne moreris, utique immortalis essem?

Actum est: Statutum est: Moriendum. Mors nescit Imperium. Principes non agnoscit adæquatrix optima: moriendum.

Sed te criminum fortè pondus premit, ut Vespasianum olim corpus ob-

esum

esum? fac, ut ille fecit. Ille corpore surrexit, stans mortuus: tu mente exsurge: nec enim convenit Regem jacentem mori, nec Christianum in cœno peccati jacere.

Surge: non trepida: sera etiam pœnitentia bona, si seria.

Jam reconciliatus Numini, dic ultrò vale Regno & Mundo: Vade in æternam requiem: ibi regnare incipies, cum Regi sæculorum vives.

Sic moritur Justus, & erit in pace memoria ejus.

Ad Politica regredior. Felix ille mihi etiam post fata Rex est, qui in Regno suo consenuit, longoque Potentiæ usu Imperii formam stabiliit.

Felicitior, qui Domus suæ Majestatem ita fundavit, ut hæredibus suis firmum Successionis gradum constituerit.

Felicissimus, qui nec bellis distrahit, sed altâ pace compositum, nec filio pupillo, sed adulto reliquit. Calamitas enim non levis est Rex pupillus.

Ubi vero plures hæredes Regios, sive domi, sive foris, fors tulit; necesse est, integrâ fide in tabulas referre Principis ultimam voluntatem, quam ut sanctam etiam post fatâ venerentur omnes.

Compertum quippe est, ut ab interitu summorum Principum magnæ siant rerum conversiones, dum alii crescunt & locupletantur, alii vero detrimentum accipiunt, & in varias acerbitates, & bella tam domestica quam externa incidunt.

Ego sane sic statuo: nunquam recessuram maledictionem de domo ejus, qui legitima Principum testamenta corruperit.

Res enimvero modica non est, testamentaria Successio Regnorum.

Ea, si subornatione, falsificatione, aut alia quacumque imposturâ testamenti litigiosa redditur, Judicem non habet, nisi arma strictumq; ferrum.

Processus bellum erit: nec alia sententia, quam unius victoria, & alterius

us clades : Effectus autem non Pax,
sed Regnorum desolatio.

Ita nunc tota armis æstuat Europa,
& innatat sanguini Christiano , ex
corrupto demortui Caroli II. Hispa-
niae Regis Testamento.

Erubescant impostores illi , nefariis
statūs Principiis malè persuasi, ad Ca-
stiliani Admiralii, Orbi universo nuper
productum testimonium ; & tandem
agnoscat Europa , supposititium fuisse
testamentum Caroli, conflatum studio
cujusdam purpurati,in odium Austria-
cæ gentis.

Ad viam, unde ex rei indignitate di-
gressus, redeo ; & ad manes huma-
torum Principum revertor.

Pretiosa planè Mors bonorum Prin-
cipum : vita magis, non mors acerba,
immortalem nominis sui gloriam re-
linquentibus ! Vivorum gloria ad de-
us & securitatem imperandi : post-
huma veneratio ad firmitatem Impe-
rii in Successoribus spectat.

Transit ad posteros gloria: nec cre-
man-

mantur, nec tumulantur cum corpori-
bus Regiis gloria merita, sed æternis
fastis includitur eorum memoria.

Æquum nobis sit, Regnantes vene-
rari non tantum in solio, verum etiam
in tumulo : sed fermè æquius, Regno
compati, ex jacturâ boni Principis.

Multa sæpe laborant sæcula, ut vi-
rum ferment verè Regium, qui stipes
sit non solum Successorum in Regno,
sed magis virtutis Regiæ, & Gloriæ se-
quacium.

Phœnix talis non tam moritur,
quam renascitur, recordatione auctæ
virtutis, in Successoribus suis semper
vividæ & pretiosæ.

Luculentum bonorum Principum
testimonium ajo, dum post fata com-
munibus civium lachrymis deploran-
tur. Et profecto nunquam bonus Rex
satis defletur, donec vel æqualis suc-
cedat, vel melior sequatur.

Hic tandem vos, O mei Regnum
sive Hæredes, sive Successores com-
pello : Vos, qui à Regio sanguine de-
scen-


scenditis, avitas vestrorum icones in oculis nusquam non habete: (ita monebat Gramondus Comes) procumbite ante Patrum imagines; pietas erit: incalescite ad aspectum virtutis Heroicæ; erit æmulatio: Imitemini magna eorum facinora; erit Gloria vestra, & utilitas publica.


Hæc propria sit vestra Schola: Ingridi in familiaritatem æmulationemque magnorum Manium. Cum his interestote præliis, colligite victorias, initie foedera, sancite pacem, miscete consilia, discite Arcana Rerum publicarum, præcepta imperandi sumite. Hoc deniq; Vestrae sit operæ, ut quorum Regnis & Imperiis gaudetis, etiam eorum gloriofa minimè vos degeneres vestigia sequamini.


Obtinget vobis inde felix regnandi initium, sicut illis erat vitæ, & libri
hujus Laconici


FINIS.














5⁰
22
—
10 0
1 0 0
~~1 8 0~~
5 6 0 18.20

~~18.20~~

